me: (*Joann.* 5.) & addit, hæc eadem illis irritas facturas eſſe omnes eorum excuſationes, atque prætextus; quoniam ratio hæc nullam eis relinquit probationem, quæ valeat admitti: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* (*Joann.* 35.) *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Concilium a Judæis habitū ad inhibēdū curſū miraculorum, quæ Dei Filius operabatur.

Inimici Dei celebri eo in Concilio, quod habuere, prævíderunt, quid profecturum eſſet ex miraculis, quæ Dei Filius operabatur, ut media excogitarent, quibus inhiberent progreſſum, quem illius doctrina quotidie obtinebat. Videmus, ajebant illi, quod hic homo ſignis, ac prodigiis replet univerſam Judæam; & hæc omnia eo ſpectant, ut quam primum habeatur tanquam Meſſias. Malum hoc prævertendum eſt, & nobis conandum, ut illum de medio tollamus, ut conſulere poſſimus generatim Reipublicæ tranquillitati, & potiſſimum noſtræ auctoritatis ſecuritati. Altera quidem ex parte melius argui non poterat; ex altera vero nulla iniquior inferri concluſio. Argumentari enim, miracula ejus effectum hunc habitura, ut ille pro Meſſia coleretur, & pro Filio Dei, qui novam hanc legem ſtatuerat, hæc quidem naturalis erat illatio; Inde autem arguere, curſum illius eſſe prohibendum, ipſumque de medio quam celerrime auferendum; hoc erat ratiocinium illius cupiditatis, qua contra ipſum erant incenſi. *Idem.*

Quoniā nobis perſuaſū eſt non defuiſſe in Religione noſtra vera miracula, vere igitur dicimus religionē hanc eſſe a Deo.

Nos igitur certi ſumus, & nobis perſuaſum eſt non deeſſe miracula in Religione, quam Salvator inſtituit, & annunciavit: hæc igitur Religio a Deo eſt, quoniam gerit characterem divinitatis optime connotatum, atque certiſſimum; Ad hæc, cum hæc miracula probent ea, quæ dixit, doctrinam ejus, placita, veritatem earum rerum, quas nobis revelavit; & nihilo ſecius de illa dubitare, eamque impugnare, & illi contradicere, hoc eſt in Deum ipſum inſurgere. Deinde cum hæc miracula non niſi in vera fiant Eccleſia, quæ eſt ſenſuum illius ſequeſter, & quemadmodum illam S. Paulus appellat præſidium, & columen veritatis; in dubium arceſſere nefas eſt; cum in hac Religione facta fuerint, hodieque fiunt frequentiſſime, nefas, inquam, eſt ambigere, utrum ſimus in via tuta, & quidquid inde recedit, in errore verſari. Ita ut ſi per *adynaton* nos viam hanc ſecuti deciperemur, Deo reſpondere poſſimus cum quodam S. Patre, quod cum ille nobis cognoſcendam tradiderit legem ſuam argumentis adeo perſpicuis, ſimulque validis, ille minime poſſit errorem hunc crimini vertere, cujus ille cauſa extitiſſet; nam quemadmodum miracula a nobis fidem expetunt; ipſa quoque viciſſim fidem ſua probant auctoritate; ſi nihil eſt, quod tantam fidem mereatur, quam quod tot teſtes viderunt, nihil eſt, quod majorem fidem aſtruat, quam ſcire illa in fidei noſtræ confirmationem facta fuiſſe. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cum Deus per miracula probaverit, ea, quæ dixit, vera, nobis non ſupereſt locus ulterius petendi prodigia ut credamus.

Si enim nos credere jubet Deus, tunc jubet poſtquam evicit, ea quæ dixit eſſe credibilia, & ſeipſum revelaſſe ea nobis per hæc ſigna, quæ nullum dubitationi locum relinquunt. Ita mortales licet cæci, & pertinaces, fatentur, ſe daturos victas manus, ſi vidiſſent miraculum aliquod certum, ac manifeſtum. Sed ita mordicus obfirmato ſunt animo, ut oculis tantum ſuis credere velint, quemadmodum incredulus ille Diſcipulus affirmabat: *Niſi videro, non credam.* (*Joann.* 20. 31.) Opus ne eſt, ut in eorum gratiam Deus invertat ordinem Providentiæ ſuæ, & ſingulis momentis operetur miracula? Inficias ire nequeunt infinita omnibus ſæculis patrata fuiſſe miracula, & ut de hac re dubitent, abroganda eſt omnis humana fides, & omnis certitudo factorum, quorum veritas eſt probatiſſima; Si ergo rationes poſtulant, ut ſeſe ſubjiciant, ac Religionis veritatibus cedant, tot illis tribuo, quot extiterunt miracula, quæ in gratiam illorum fuerunt peracta. Sed pertinax voluntas intuita portenta, æque moveretur, ac Pharao, obduratum illud cor, quod neſciebat quid diceret, vel quid reſponderet, ubi videbat prodigia, quæ ob oculos ejus Moyſes operabatur; Sed ubi miracula eadem ceſſabant, in priſtina obſtinatione perſeverabat: *Neſcio Dominum & Iſrael non dimittam*: (*Exod.* 5.) Vel contingeret quod de divite nequam teſtatur Evangelium: qui æternis ignibus tortus, precibus urgebat Abraham, ut mitteret pauperem Lazarum ad quinque fratres ſuos, ut hos ad mutandam vitæ rationem impelleret, & affirmabat futurum ut certiſſime converterentur, ſi quem a morte reducem intuerentur, ipſis prædicantem. Cui Sanctus ille Patriarcha reſpondit, illos certiores habere teſtes, quos ſi minus audiunt, cum etiam ad illis prædicandum mortui reſurgerent, eoſdem in pertinaciſſima obduratione ſua perſeveraturos. *Idem.*

Miracula a J. C. coram Judæis patrata hos nequiores effecit.

Jeſus Chriſtus ſpectantibus Judæis Lazarum ſuſcitavit a mortuis. Numquid ideo illi meliores evaſerunt? Hoc prodigium illos minus excuſabiles, & magis nocentes effecit. Hæc eſt figura obſtinationis plurimorum infidelium, & argumentum inutilitatis miraculorum ad obduratorum nocentium converſionem. Hoc quo vivimus ſæculo mens non caret luminibus; ſed cor indiget docilitate, ac æquitate. Qui rebellis eſt fidei luminibus, mortui ſuſcitati prædicationi ſe non præberet dociliorem. Numquid merito fidem haberetis voci phantaſmatis, quod nunquam ſuſpicione vacuum eſt, potiuſquam Verbo Dei? Nequaquam viſibiles apparitiones, nec peculiares revelationes, neque miraculoſæ aſpirationes per ſe vim habuerunt gignendi fidem, ſpem, caritatem, ſpiritum mortificationis, vel pœnitentiæ; ſed interior Jeſu Chriſti gratia. Gratiam hanc habes, vel ſaltem in te ſitum eſt habere illam, petendo eam, uti opus eſt. Hac igitur utere, & ſatis erit, ut inſigni Sanctitate vir evadas: ſi enim talis minime evadis per media communia, quæ tibi exhibet Providentia, nunquam evades, licet illa tibi ea largiretur non conſueta ſubſidia, quæ audes flagitare. *P. la Neuville, libro tertio Moralis novi Teſtamenti.*

Certum eſt facta fuiſſe miracula, & Deum operatum fuiſſe illa, vel per ſe, vel per fideles famulos ſuos.

Quod attinet ad miracula, alterutrum verum eſſe neceſſe eſt; vel extitere miracula, vel ſecus. Si alterum hoc, accuſandi ſunt calumniæ plerique Profanorum Auctorum; vel potius cum S. Auguſtino dicendum eſt, quod videre ab univerſo Mundo J. C. fidem recipi ſine miraculo, hoc majus eſſe miraculum eodem miraculo; Sed ſi non defuere miracula, hæc non aliud habere potuerunt principium, niſi naturam, aut Dæmonem, aut Deum. Affirmare naturam ea peperiſſe, hoc eſt prima Philoſophiæ fundamenta ſubvertere. Nemo poteſt oculorum aciem cæco reſtituere, nec vitam mortuo; ab his privationibus ad hos habitus non datur regreſſus. Dicere Dæmonem miraculorum auctorem, quæ ſpecies adeſt veritatis? Numquid prodigia fuiſſet operatus, ut cultum ſuum everteret? Numquid ille ſacrilegis labiis obtemperaſſet? Ex ſimulacrorum corporibus egreſſus fuiſſet vi Exorciſmorum Eccleſiaſticorum? Reſtat igitur, ut Deus Auctor fuerit Miraculorum. Ita fidei Chriſtianæ veritas comprobatur; ſi enim ille eorum Auctor extitit, potuit ne approbare mendacium, & per non communes conatus errori, ac ſuperſtitioni auctoritatem conciliare? *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo primo*

ADDI-

ADDITIONES
AD QUINTUM TOMUM SUPPLEMENTI
BIBLIOTHECÆ CONCIONATORUM.
Ubi agitur de Communi Sanctorum Generatim, videlicet Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum &c.

MONITUM.

Licet Tomus hic ſatis copiæ amplectatur ad pertractationem cujuslibet tituli, & characteris Sanctitatis, tamen non ſatis argumentorum ad pertractandum inventum eſt, ut volumen hoc ad eam excreſceret molem, qua cetera, quæ exæquare, quantum in nobis fuit, ſumus conati. Hæc res nos impulit, ut ſequentes Additiones ſubnecteremus, in modum Tractatuum vel potius Sermonum, qui a propoſita ſcribendi ratione non abhorrerent; etenim profuturæ ſunt tum ad populos erudiendos, eiſque oſtendendum, ipſos poſſe ſemet ſanctificare & in ſtatu, in quo illos Providentia conſtituit, cum ad eos excitandos, & inflammandos, ut ambulent ſecus vias, quas ejuſdem profeſſionis Sancti ſecuti ſunt: & ut ad eumdem finem perveniant, videlicet ut ſeſe ſanctificent, quemadmodum illi ſanctificati ſunt.

SERMO PRIMUS.

Salvari poſſumus in quolibet ſtatu, & conditione in qua nos Providentia conſtituit.

Ecce quid confundere debeat eos, qui hodierna die putant, duci non poſſe chriſtianam vitam una cum iis curis, quæ ſuæ inhærent profeſſioni; vel qui credunt, ſe a ſtatu ſuo, munere, officiiſque diſpenſari, ne ſuæ vacent ſanctificationi. Mira illuſio, auditores, quæ non minus periculoſa eſt, quam uſitata in Mundo, ubi nihil aliud auditur quam excuſationes, prætextus, difficultates; & obices, qui afferuntur, vel quos potius ſe invenire comminiſcuntur in praxi virtutum, & in officiis ſuis obeundis; ſed illuſio quam hodierna die diſſipare contendam. Fallax prætextus, quem exſufflare conabor, vobis oſtendens, nullam eſſe conditionem, nullum ſtatum, vel munus, in quo noſmet ſanctificare non valeamus. Argumentum hoc magno eſſe debet ſolatio omnibus fidelibus; palam quippe videbunt non ſolum ſe poſſe fieri Sanctos in conditione ſua, verum etiam debere efficere, ut ſua ipſa conditio ſit medium ad ſalutem, & ſanctitatem ſuam.

Quemadmodum numquam deliberatur de poſtremo fine, ad quem mortales omnes ſuopte ingenio, & neceſſitate quadam feruntur; ita non percontor, utrum velitis ſanctificari, & æternum eſſe beati; ſed dicam omnium veſtrarum deliberationum argumentum eſſe oportere electionem mediorum magis idoneorum, quibus hunc finem aſſequamini, cui rei illud tantummodo adjiſciam, nihil eſſe ubi majores nanciſcamur difficultates, & nobiſmet plures obices comminiſcamur. Alii conqueruntur, ſe non poſſe ſimul de Deo, deque ſuis rebus eſſe ſollicitos; alii provinciam ſuſceptam ſimul eſſe non poſſe cum pietate, & virtute; alii denique negotiis ſuis omnes curas, & cogitationes ſuas abſorberi; & quod præ ceteris magis metuendum eſt, hominum improbitatem effeciſſe, ut nulla periculis careat conditio, & vitium, morumque corruptionem ubique ſcopulos poſuiſſe. Fert igitur animus oſtendere vobis, hæc omnia inanes eſſe prætextus, quos plerique ſibi fingunt in ſuis flagitiis, & quibus probare adnituntur licentiam ſuam rejicientes in ſtatum, vel munus ſuum difficultates, quæ ex prava mentis, & cordis ſui affectione procedunt. Meum igitur eſt hodierna die omnes has fallaces cauſſas evertere, oſtendendo primum, nullam eſſe conditionem, ubi non liceat nobis inſervire Deo, ac noſmet ſanctificare; Secundo autem, numquam melius a nobis impleri munera ſtatus, & conditionis noſtræ, quam cum in hac ſalutem noſtram operari, & Deo deſervire contendimus.

Poſſe nos famulari Deo, & ſalutem noſtram in omnibus conditionibus operari, cum veritas ſit, quæ hinc quidem inanes omnes adimit prætextus, quos affert ignavarum mentium negligentia; inde vero ſedat omnes tumultus, quos timor, ac diffidentia in infirmis cient animabus; adnitendum eſt, ut ſolidius, quam fieri poſſit, comprobetur. Mihi autem videor duas, vel tres rationes inveniſſe aptas ad perſuadendum, ſi quis attentius illas ad examen revocare voluerit, quarum princeps eſt, quod quilibet vitæ ſtatus, atque conditio proprias habet gratias, & particularia ad id ſubſidia. Semper autem de iis vitæ conditionibus loquor, quæ permiſſæ ſunt, & legibus probatæ, atque inſtitutæ ad ſervandum ordinem Reipublicæ, quæ conſtat ex hac ſtatuum, & conditionum varietate, quarum aliæ aliis periculo propiores ſunt propter occaſiones lædendi Deum, quæ ſunt frequentiores; iterum dico nihilominus nullum eſſe ſtatum, vel vitæ conditionem, quæ careat gratiis ſuis, & ſubſidiis ad operandam ſalutem ſuam, & ad ſanctitatem adquirendam. Huic innixus veritati, quæ in dubium revocari non poteſt; Deum vocare omnes homines, & optare, ut ſinguli utiliter operentur ſalutem ſuam: *Omnes homines vult ſalvos fieri & ad adquiſitionem veritatis venire.* (*ad Timoth.*) At poteſtne quipiam ſemet ſanctificare ſine ſubſidiis, & gratiis ad id neceſſariis? Hic fidei eſt articulus, de quo dubitare non licet. Ergo in omnibus ſtatibus, atque conditionibus gratiæ ſunt, & media ad ſalutem ſuam operandam, & per illationem manifeſtam, nullus ſtatus eſt, in quo Deo ſervire nequeamus, & omnia obire Chriſtiani hominis officia.

Gratia, S. Ambroſius inquit, agens eſt univerſale, quod ſeſe accommodat omnibus effectibus, præter propter veluti Aſtrorum influxus, qui cum omnibus particularibus cauſſis concurrunt, vel ſi mavis, veluti ros de Cælo dilapſus, qua comparatione utitur hic Pater, qui cum in ſe non ſit, niſi Ens ſimplex, tamen tot varios habet effectus, quot ſunt in terris diverſæ ſpecies plantarum; ita gratia, quam Sacra Biblia rorem cæleſtem appellant, generalis eſt cauſſa, quæ cuilibet profeſſioni, cuilibet muneri, cuilibet ſtatui vitæ ſingillatim ſe accommodat, ut omnia ſingulorum impleamus officia, & obligationes. Gratia, exempli loco, cadit in nobilem virum, & inde efficit cor generoſum, ſtrenuum, zelo ſuccenſum gloriæ Dei, & honoris Principis ſui: Ecce quo pacto hujus conditioni ſe accommodat; deſcendit in animam judicis, in eaque gignit cordis rectitudinem, juſtitiæ amorem, vim, ac robur utramque lancem liberandi, quin modo vel in favoris, vel cupiditatis lancem propendeat, immoratur modo in viro negotiis impedito, eique probatiſſimam fidelitatem inſpirat; in Eccleſiaſtico, eumque reddit divinum hominem exemplo vitæ ſuæ ſuſtinentem characteris ſui ſanctitatem; in Religioſo, & Sanctum facit. Hæc eadem eſſe poteſt gratia, ſed quæ ſe aptat variis mortalium ingeniis, & conditionibus, in quibus illos Deus collocavit; idque, ſeu gratia ſemper ſit eadem, & varia dumtaxat ratione variorum effectuum, quos parit, ſeu, quod dicere videtur Princeps Apoſtolorum, ſit vere diverſa, pro perſonarum diverſitate; & Deus, qui omnes novit illius ſpecies, omnes proprietates, & uſus omnes, illas accommodat ſtatui, ſtudiiſque ſingulorum; *Multiformis gratia Dei.* (*1. Petr.*)

Quomodocumque ſit, conſtat, quemadmodum generalis quædam eſt providentia, quæ rebus omnibus magni hujus mundi invigilat, ubi omnia rectiſſime conſtituta ſunt, in aliam eſſe peculiarem, quæ reſpicit diſtributionem gratiarum, eaſque aptat ſtatui, & conditioni mortalium; ex quo argumentor, ſi quilibet ſtatus, & quodlibet vitæ genus ſuas habet ad ſalutem ſibi procurandam, & ad ſerviendum Deo gratias, affirmare, ſe virum bonum eſſe non poſſe, neque ſalutem ſuam operari in hac, vel illa conditione, hoc eſſet idem ac Deum injuſtitiæ redarguere, quod eum a nobis exigat cultum, quem illi adhibere non poſſumus; velle, ut ordo Sapientiæ ſuæ cauſa ſit ſcelerum noſtrorum; illum criminum noſtrorum conſortem, noſtræque calamitatis auctorem efficere, eo quo nos in eo ſtatu collocaverit, ubi ſalutem noſtram operari non poſſemus; hoc tandem eſſe divinam illius Providentiam deſtruere, quæ cum hoc inter homines diſcrimen conſtituerit, ſingulis ſuum in mundo locum præbuerit, & varias partitus fuerit conditiones; illis minime contuliſſe neceſſaria ſubſidia, ad officia ſua perſequenda. Quod ſi negare non poſſumus, has nobis adeſſe gratias, atque ſubſidia; hinc igitur ſequitur hanc ineptiſſimam eſſe excuſationem, ac prætextum nulli innixum funda-

fundamento, rejicere in ſtatum, & conditionem ſuam cauſſam negligentiæ ſuæ in Dei cultu, & modicæ ſollicitudinis in ſalutis ſuæ procuratione: *Omnis ad bene agendum provocatur ſexus, omnis ætas, & dignitas.* S. Ambroſius exclamat; (*Amb. Serm. 7. de Milit.*) *Nemo igitur publicis ſe excuſet actibus.*

Verum eſt, Auditores, quemadmodum in regno Monarcha non eamdem ab omnibus ſubditis operam petit, neque omnes idem munus exercent, nec omnes eadem gerunt arma contra hoſtes illius, neque omnes inter cuſtodes, aut conſiliarios ejus numerantur, & nihilominus, nemo eſt, qui quatenus ſubditus illius, qui non teneatur pro modulo ſuo illi deſervire; ita ſi minus exigit a vobis Deus tantam perfectionem, quantam petit ab Eccleſiaſtico, & Regulari, ſi minus evocavit vos ad ſtatum adeo ſanctum atque ſublimem, vos tamen eſtis ex numero ſervorum ejus, & ſi minus a vobis requirit eumdem virtutis gradum, neque eaſdem obſervantias, nihil vos diſpenſabit quominus regulares ſitis in profeſſione veſtra, vel etiam perfecti ſitis ſecundum ſtatum veſtrum. Igitur, dicam iterum, vel munus veſtrum prætexere, ut vos a jure communi diſpenſetis, hoc eſt pro excuſatione afferre cauſſam ipſam, quæ vos obligat. Deus enim vult, ut hoc ipſo munere veſtro illum glorificetis; vult, ut in hac conditione illi ſerviatis, quia ſeſe illi accommodat gratia; in hac vobis laborandum eſt provincia, & hoc, quem tenetis, loco; ad id enim in eo Deus vos conſtituit; ut verbo me expediam, debetis vacare profeſſioni veſtræ, eamdemque in veſtræ ſalutis ſubſidium convertere, quia in eadem præcipua collocavit ſubſidia, quæ toto vitæ veſtræ ſpatio eſtis habituri.

Hinc videtis ſtatum, ac munus noſtrum conjunctum eſſe cum ordine prædeſtinationis noſtræ; videlicet Deum qui prædeſtinat homines ad gloriam, nequaquam id facere inordinate ac indeterminate; ſed ſingulis locum ſuum, ordinemque obtinendum deſtinare, eiſque connotare omnia adminicula, quibus uti poſſunt, & finem, quo illis incedendum eſt, ut illuc perveniant. Oportet igitur, ut hæc via, & hæc media aliquam habeant relationem, ideoque nonniſi effectus nequitiæ noſtræ eſſe poteſt, obicem ſtatuere ſaluti, & ſanctitati noſtræ ex iis ſubſidiis, quæ nobis ſuppeditat Deus, ut eo perveniamus; itaque extremo judicii die hoc unum erit ex præcipuis capitibus, propter quæ condemnabimur, eo quod perperam perfuncti fuerimus eo munere, quod nobis Deus demandavit, & unum erit ex iis, de quibus exiget ille a nobis rationem tanquam unius ex præcipuis adminiculis, quibus donati fuimus, ut ſalutem noſtram operaremur. *Redde rationem villicationis tuæ.* (*Lucæ 16.*)

Neque ſatis eſt, quod conditio quælibet ſuas habeat gratias, atque ſubſidia; quælibet enim ſecundo loco habet propria, & ſingularia præ ceteris ad hunc finem commoda, propter quem creati ſumus, quamobrem dico etiam, nullam eſſe conditionem, in qua inſignes Sanctitate viri fieri nequeamus, quod ex ipſis Dei mandatis argumentor: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* (*1. Ad Theſ.*) Hinc enim hoc poſito, Deum videlicet a nobis petere, ut ad altum Sanctitatis gradum perveniamus, eumque locupletiſſimas propoſuiſſe coronas, & prima regni ſui ſubſellia iis, qui meritis ſuis ea ſibi comparaverint; inde vero, dubitari non poſſe quominus peculiari ſapientiæ ſuæ diſpoſitione factum fuerit, ut tot varias conditiones inſtituerit; quod ſemper præſuppono; quis ſtatim non arguet, quemadmodum Sapientia ejuſdem hæc ſtatuum varietas ordinata fuit, bonitatem quoque illius eamdem ad æternam ſalutem retuliſſe, tanquam media ad finem ſuum, & in ſingulis adeſſe quædam auxilia, quibus adjuti illuc perveniamus. alioquin in hac diſtributione, in qua tantam conſpicimus inæqualitatem, licet Deus nihil debeat cuipiam, homines tamen ſe læſos eſſe putantes aliquam haberent cauſſam invidendi alienæ felicitati; querendi ſibi onus impoſitum ſupra vires fuiſſe; vel ſaltem exiſtimandi, ſe quodammodo a Deo neglectos fuiſſe in aliorum comparatione.

Quam ob rem dici poteſt, hoc præter propter tanquam in ordine naturalis providentiæ ſuæ contigiſſe, ubi Deus æquiſſime compenſavit bona, & mala, quæ in qualibet conditione inveniuntur, ut quælibet ſua habeat propria, & peculiaria; ut quivis voti ſui compos in terris vivat, quæ in conditionibus aliis minime reperiuntur.

Hoc ipſum dicere poſſumus, Auditores, de ſupernaturali Providentia, quæ adeo ſapienter diſpoſuit univerſa, ſingulis conditionibus ineſſe præ aliis bona ſua ad ſalutem ſuam operandam, & plurima apud Deum promerenda. Et profecto in facultate, ac poteſtate omnia faciendi, ſibique permittendi omnia, qui ſcopulus eſt, in quem viri principes allidi conſueverunt, quamnam habent bene agendi facilitatem? Quippe per auctoritatem ſuam plurima prohibere poſſunt crimina, flagitia evitare, quam ſexcenti Concionatores poterunt toto vitæ ſuæ ſpatio; & ſolum eorum exemplum plures poteſt ad virtutem, & pietatem illicere, quam ingens SS. ac zelotum Regularium numerus; quippe qui ſimiles ſunt, abſit invidia verbo, primis ſyderibus, quæ ſua pernicitate reliqua ſecum trahunt. Divitum conditio in Evangelio improbatur, quia divitiæ latiſſimam ſternunt omnibus criminibus viam, quia nobis ſuppeditant, unde noſtris cupiditatibus facere ſatis valeamus, ideoque objecta ſunt maledictionum, atque anathematum Filii Dei: *Væ vobis divitibus.* (*Luc. 6.*) Attamen hæ ipſæ divitiæ, ſi uti velimus illis, uti opus eſt, quodnam auxilium ad ſalutem adquirendam non afferrent? Peccata eleemoſynis redimi poſſent; omnia Caritatis opera, quibus adjacet Cæli promiſſio, quonam pacto, & a quibus niſi per opes, & a poſſidentibus illas melius poſſent exerceri? Nonne dici poteſt, ſi opulenti bene uti vellent bonis ſuis, illos ſine difficultate, ac labore habituros id, quod aliis ſtat ſumma vi, validiſque conatibus?

Hinc ſequitur, Auditores, errorem eſſe, & illuſionem a noſtræ felicitatis inimico profectam, exiſtimare, ſi nos alio eſſemus in ſtatu ab eo, in quo nos eſſe vult Deus, & in quo nos ipſe conſtituit, nos eidem melius eſſe deſervituros; cum interim relinquimus media, & præſentia ſubſidia, quæ nobis præ manibus ſunt, alia commentitia optaturi, & numquam fortaſſe futura ſunt, militis inſtar animo foventis ea, quæ facturus eſſet, ſi vel eſſet dux exercitus, vel imperator, & qui nihilominus remanet miles ignavus, & vecors. Exempli gratia artifex putat ſibi plus otii futurum, quo de Deo, deque ſalute ſua cogitaret, niſi neceſſitas ab eo laborem expoſceret; interim vero ſalutem ſuam negligit, ac tempus amittit, qui bibalmaris eſt error.

Alia ex parte audio Mulierem hanc, quæ inutili pœnitentia conficitur eo quod ingreſſa non ſit Religionem, ad quam ſe vocari credebat, & quæ inter œconomicæ rei impedimenta cogitat, quam beatius viveret ſi procul a familiaribus curis, & moroſo viri ſui ingenio, nonniſi de Deo, ac ſalute ſua eſſe deberet ſollicita. Uni huic magno, magnique momenti negotio operam darem, ait illa, ſi Deo me devoviſſem inter clauſtra; modo vero non vacat mihi de eo cogitare. Hæc erant cogitanda, donec tibi erat integrum delectum ſtatus habere: Si antea de hac re Deum conſuluiſſes, ac ad ſtateram revocaſſes partis utriuſque momenta, ſi prudentis directoris conſilium ſecuta fuiſſes, fortaſſe melius elegiſſes; hodie vero cum electio a te fuerit habita, ac jam ceperis conſilium, hæc mera tentatio eſt, quæ prohibet, ne facias, quod tibi faciendum eſt, donec mentem diſtineas tuam ad ea cogitanda, quæ faceres, ſi alio in ſtatu permaneres.

Pariter vir ille cogitat, ſi minus ſeſe implicuiſſet ei magiſtratui, quem abdicare non poteſt, plura ſibi ad ſalutem operandam non defutura ſubſidia; ſed modo negligentiæ ſuæ cauſſam prætexere, mera illuſio eſt, Auditores, quæ vos detinet in chimæricis meditationibus, donec vobis elabi ſinitis media pro Deo laborandi. Secretum igitur a quo noſtra ex parte pendet prædeſtinatio, eſt bene eligere, bene conſulere Deum, frequentibus precibus ab eo lumen petere, & conditionem ad quam nos evocat rite ad examen vocare; ſed poſtquam ſemel alicui voſmet implicuiſtis negotio, ex quo nullo pacto emergere fas eſt, non ultra deliberandum eſt, ſed agendum utendumque omnibus conditionis veſtræ ſubſidiis, quod, ut Epheſii facerent, auctor erat S. Paulus: *Obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* (*Ad Epheſ. 4.*)

Sed, Chriſtiana ſocietas, quod hac in re ſolatium afferre debet mortalibus omnibus, & quod tertiam hujus propoſitionis partem conſtituit, illud eſt, quod præterquam cuilibet conditioni ſua ſunt media, & propria, & particularia ſubſidia, meliorem etiam eſſe, & commodiorem ad ſalutem operandam, & ſanctitatem adipiſcendam. Hoc ex iiſdem principiis arguo; ſi enim Deus hæc omnia vitæ genera inſtituit & poſuit hanc varietatem conditionum urbes, ac Regna conſtituentium, & ſi in hoc emicat Dei Providentia, & Sapientia, quæ diverſa hæc ſtudia, ac talenta, ſecretoſque inſtinctus impertiit hominibus, qui alii quidem huic, alii alteri negotio vacant, ut hoc pacto civilem ſocietatem ſuſtinerent: *unicuique ſicut diviſit Dominus*, (*1. Ad Cor. 5.*) ut Apoſtolus inquit; Deus igitur illis diverſas perſonas applicuit, quas ſpeciali vocatione appellavit; nam quicumque vult finem, vult etiam media neceſſaria illatione. Alioquin ſi hæc Dei Providentia non tendit ſolum ad communem, ac univerſalem mundi hujus utilitatem, verum etiam ad bonum cujuſcumque ſingillatim, in quo differt ab Hominum providentiis, quæ pro publico bono ſacrificant peculiare; hinc ſequitur, ubi Deus nos ad aliquam evocat conditionem, aut aliquod vitæ genus, citra metum dici poſſe ipſum hoc nobis optimum, ac utiliſſimum judicaſſe, & in quo per æternam præſcientiam prænovit nos facilius, ac felicius ſalutem noſtram operaturos, ſi illius mentem ſecuti fuerimus.

Igitur in præſentiarum quin conqueramini de hac divina Sapientia, quæ vos in hoc loco conſtituit, quin inutilia foveatis deſideria ejus rei, quam vobis nequaquam duxit utiliorem, cur non omnes conatus exeritis, ut impleatis ea conſilia, quæ ille habuit de vobis? Videlicet cur non conamini ſervire illi, & voſmet ſimul ſanctificare eo in ſtatu, in quo vos eſſe voluit? nequaquam hic non aliud eſt, quam fictus color, quem mortales ſuæ allinunt negligentiæ, cum in medium proferunt negotia ſua, honores, conditiones, ut ſeſe ab officiis hominis Chriſtiani diſpenſent, & ut curam ſuæ ſalutis abjiciant: *Quod ipſi gerunt*, S. Ambroſius inquit, *officiis ſuis adſcribunt.* (*Ambroſius loco ſupra citato.*) Rejiciunt in ſtatum ſuum vitia ſua. Haud quidem veſtra conditio prohibet, ne ſerviatis Deo, ſed unice mala voluntas hoc vetat veſtra. Omnes hi prætextus fallaces ſunt & inutiles; quia nos non ſolum noſmet ſalvare poſſumus, ſed etiam in quovis conditionum genere ſanctos evadere poſſumus, & perfectos.

Hac de cauſſa pro certo habeo juxta curioſam ſapientum virorum animadverſionem nullum inveniri poſſe munus, nullum in Republica magiſtratum, in quo non adſit aliquis

ab ea-

ab eadem Eccleſia pro Sancto habitus, ad probandum, quemadmodum conditiones, & ſtatus varii illi non ſunt, qui Sanctos efficiant, ſed vitam quæ ibi ducitur, & fidelitas, qua eorumdem officia adimplentur; quod Tertullianus de Chriſtianis ævi ſui dictitabat: *Nihil refert, ubi ſitis; extra ſæculum eſtis.* Quid intereſt, cujus tandem profeſſionis ſitis, dummodo vos Deus ad illam vocaverit? Ita ego non illud quæro, utrum ſæculares ſitis, an Regulares, Sacris Ordinibus initiati, an conjugio impliciti; ſed illud, quod omnibus eſſe debet commune, cujuſcumque tandem conditionis ſtatus illi ſint, ut procul ſitis a ſæculi ſordibus, & corruptione, quod in omni conditionum genere fieri poteſt.

Et profecto inter Principes viros, qui ex fidelibus illi eſſe videntur, quibus plures adſint ad ſalutem obices, ſexcenti & ultra leguntur in Sanctorum album relati poſtquam vixerunt in Aula profana, quin vitiorum contagione inficerentur, quæ eorum incolatum adeo periculis plenum efficiunt. Quænam eſt conditio, in qua ſit plus licentiæ & minus religionis, quam militum? tamen plures fierent exercitus militum eorum, qui ea in profeſſione ſanctificati ſunt, nec defuere legiones integræ, quæ vitæ jacturam pati maluerunt, quam abdicare fidem. Inter viros negotiis implicitos, quænam ſunt ſalutis pericula? Quæ impedimenta? Attamen non defuerunt plura hujuſmodi mortalium millia, quæ ibi numeris omnibus abſolutiſſimam virtutem tulerunt præ ſe, & ad ſummum etiam Sanctitatis apicem evaſerunt.

Hæc autem SS. cujuslibet generis, & conditionis multitudo ex Apoſtoli ſententia nubes eſt teſtium, qui tandem aliquando contra nos teſtimonium dicturi ſunt, & ignaviam noſtram improbaturi: *Tantam habentes teſtium nubem.* Eorum numerus perſpicuum, & manifeſtum erit argumentum, nos quoque Sanctos eſſe potuiſſe; & nos nonniſi eſſe in culpa, ſi minus fuerimus Sanctitatem adepti. *Teſtium nubem.* Nubes eſt ſuper noſtrum caput poſita, & medio in aeris ſpatio pendens, innuens, illos in terris fuiſſe, quin affectu illis inhærerent, & inter curas, ac negotia vixiſſe, quibus obruti videbantur, ac inde ſeſe per pietatem extuliſſe, & de Cælo tantummodo cogitaſſe. *Teſtium nubem.* (*Ad Hebr. 12.*) Nubes eſt, quæ fert imbres gratiarum, quas obtinet a Deo pro illis, qui iiſdem muneribus impliciti eaſdem experiuntur difficultates. Sed caveamus ne hæc nubes aliquando ſuper caput noſtrum difrumpatur, & erumpat in fulmina, proferens damnationis noſtræ ſententiam, ſi ita miſeri fuerimus, ut pereamus.

Eheu! quam triſtis nos conficiet dolor, Auditores, cum Deus nobis oſtendet ſubſellia, quæ nobis deſtinaverit inter eos, qui ejuſdem erant ordinis, & conditionis, ac nos. Quid reddet ille, qui periit ea in conditione, in qua tot aliorum millia, quibus plura non erant media, vel ſubſidia, ſalvi facti ſunt? tunc inſurgent illi in ipſum, ac teſtabuntur, illum unice culpa ſua periiſſe, & conditionem hanc illi ingenti eſſe potuiſſe adjumento, ut Cælum adquireret. Quid reſpondere poterit hic Magiſtratus, vel Judex, qui in muneris ſui exercitatione damnatus fuerit, illi, qui in eodem obeundo ſalutem fuerit conſecutus, licet non plura nactus fuerit auxilia & illi fortaſſe in idem Tribunal ſucceſſerit? Hoc onus, quod juſtitiam vendens polluiſti, eſt ne cauſſa damnationis tuæ? dicetur illi; Non ita, quandoquidem me ſalvum fecit: tu vero non reprobatus fuiſti, niſi quod abuſus es poteſtate, & auctoritate, quam tibi permittebat. Tu igitur exitii tui cauſſa es, non munus tuum, quod tibi modum præbebat temet ſalvum faciendi. Hoc ipſum dico de reliquis vitæ generibus, in quibus qui ſanctificati ſunt, primi erunt, qui aliorum damnationem urgebunt, poſtquam exemplo ſuo probaverint non ſolum nos ſalutem noſtram operari, & Deo ſervire poſſe in quovis genere conditionum; verum etiam nos nequaquam melius perfuncturos eſſe officiis conditionis noſtræ, quam cum fidelius ſervierimus Deo, & noſmet ſanctificare adniſi fuerimus.

II. PARS. Ita ſane Auditores, altera hæc propoſitio non eſt minus manifeſta, quam prior; numquam melius ſatisfacimus officiis muneris noſtri, & noſtræ conditionis, quam cum melius famulamur Deo, & fidelius ſalutem noſtram operamur; & tantum abeſt, ut duo hæc ſimul eſſe non poſſint, ut mutuo ſibi dent manum & alternis ſeſe fulciant auxiliis. Ut hoc nobis perſuaſum ſit, afferendæ non ſunt acutæ argumentationes; afferam ſolum duo, vel tria ex probatiſſimis argumenta, & quæ omnes facile intelligere poſſunt; videlicet Chriſtianiſmum, & cultum Dei nullam habere cum ſtatu noſtro oppoſitionem; ſed econtra ſeſe accommodare cum omnibus conditionibus, ac ſtatibus, & nobis opem ferre, ut earum officia repleamus; ad hæc noſtram conditionem nobis ſuppeditare poſitive media præſtandi Deo quamcumque operam ille ex nobis valeat expetere; ac tandem omnem ſanctitatem noſtram in eo poſitam eſſe, ut adquiramus perfectionem propriam ſtatus, & conditionis, in qua nos Dei Providentia conſtituit. Singulas percurramus, ſi vobis lubet.

Primum autem quodnam hoc eſſe poſſet abſurdum inter Dei ſervitium, ac ſtatum noſtrum? Nonne verum eſt, omnes homines, quocumque in ſtatu ſint, & quamcumque profeſſionem fuerint amplexi, vivere debere, ut Chriſtianos decet? Quandoquidem Deus ipſe, qui eos vocavit, vocavit quoque ad Religionem Chriſtianam, & ſicuti Deus ſibi nequit adverſari, etiam permittere nequit, ut alterum ullo modo alteri officiat. Quamobrem Chriſtiani qualitas titulus eſt tranſcendentalis, qui ad omnes pertinet qualitates, qui omnibus ſe muneribus immiſcet, ac in omnibus ſtatibus reperitur.

Videlicet, Auditores, vos, qui Judices eſtis, & Magiſtratus, vos, qui mercaturam exercetis, vos qui eſtis Domini, Nobiles, Milites, & quidquid vultis, ſcire debetis, vobis ſimul duplex eſſe officium. Vos non ſolum Judices eſſe, ſed Chriſtianos Judices, & utrumque hoc munus ſua habere jura, & officia; & ea vobis ſejungenda non eſſe ſine interitu veſtro, ſi neglexeritis officia utrique muneri adhærentia. At enim, inquies, implicitor negotiis, commercio, jugibus impedimentis: quomodo ergo vis, me Deo inſervire, me pietati vacare, ut Religioſum decet? Hominem hunc audientes dicetis, hoc eſſe ordinem Mundi ſubvertere velle, ab illo virtutem, & bonorum operum praxim exigere. Sed dicito mihi, num ſolum mercator eſt? An ſimul & Chriſtianus? Cur ergo tempus omne illi in temporalibus negotiis tranſigendum eſt? Æquumne eſt ut ſalutis cura minima ſit omnium curarum? Cur conſcientiæ tuæ ſtatus perturbatior eſſe debet ſtatu domus tuæ? Undenam tantum ſedulitatis in rationariis veſtris ſervandis, ac tantum negligentiæ in reddenda ratione Deo, quod opinione celerius contingere poteſt?

Cum alter ille ſe nobilem mihi jactitat, ſibique ſecundum nobilitatem ſuam ſibi vivendum? Heus tu! quis id negat? vel quis vetat? Sed nonne ſimul Chriſtianus es? Heu! ſi præclarum hunc titulum abnegaſſes, mortalium omnium ignaviſſimus, & nequiſſimus eſſes. Quam igitur ſimulas adeſſe oppoſitionem inter nobilitatem, ac ſalutem tuam? Inter officia amplitudinis, & Religionis tuæ? Inter Evangelium, & fulgorem natalium tuorum? nulla ſane, niſi recentes aliquas reminiſceris; & tantum abeſt, quod hæc ſimul eſſe non poſſint, ut ea ſeparare, idem ſit ac temet utraque indignum præbere; nam unum ex primis Chriſtiani hominis officiis eſt fideliter replere fide ſumma ſui ſtatus officia; ideoque tantum abeſt, quod ſimul eſſe non poſſint, ut alterum nobis ſuggerat rationes, propter quas alterius muneribus debeamus perfungi, & novam adjiciat actionibus noſtris perfectionem, eas Chriſtianas efficiens, quæ morales, vel mere naturales erant. Quinam eſt ergo, amabo vos, hic prætextus, quem affers modicæ curæ, qua Deo famularis, deſumptus a neceſſitate ſtatus tui, vel tuæ conditionis? Nam quo fidelius ſervies Deo tuo, eo diligentius implebis munus tuum, faciens, quod tibi faciendum eſt majori cum attentione, conſcientia, affectu, & integritate.

Poſt hæc, primus non es, qui hanc provinciam obieris, qui in hac conditione vixeris, qui ſimilia negotia tractaveris, & munus hoc exercueris. Sexcenti, qui tibi præceſſerunt, ſeſe geſſerunt, ut decet ſimul honeſtos viros, proboſque Chriſti fideles. Si ergo aliquid difficultatis, impedimentorum, vel impotentiæ eſt, ut aſſeris, a te proficiſcitur, non autem a munere tuo; nam de ceteris dici poteſt, quod S. Hieronymus dicit de militari ſtatu, verba faciens de Centurione, cujus elogium celebrat Spirit. S. in Actis Apoſtolorum: *Non nocuit paludamentum, & baltheus, & apparitorum turba.* (*Hier. ep. 56.*) Non militare ſagum, non armorum licentia, non quidquid magis adverſatur in bellica re pietati prohibuerunt, ne juſtus eſſet, ne Dei timorem foveret. Veſter igitur ſtatus, & munus veſtrum non minus vos prohibet, quam illum ſuus; ſed avaritia veſtra, quæ tanquam perditum reſpicit, quidquid impenſum non eſt ad augendos redditus veſtros; mollities veſtra, quæ ſua tantum commoda aucupatur, & quæ nollet vel minimam ſibi auferri voluptatem, ut placeat Deo in piaculum ſcelerum veſtrorum; ambitio veſtra, quæ vos fatigat, ut in hoc mundo magis niteat; quaſi poſt vitam hanc nihil ultra eſſet ſperandum, vel metuendum: hæc ea ſunt, quæ aſſertam hanc gignunt impotentiam. In ſtatum hunc aſſertis vitia, & cupiditates, neque has umquam ſuperare contenditis; mirumne eſſe debet, ſi in pereundi diſcrimen inciditis? Hæ id ipſum in alio quolibet efficerent; & ſi nequaquam eaſdem conditiones inveniretis, aliæ vobis occurrerent fortaſſe periculoſiores, & eas vobiſmetipſis inquireretis. Mercaturam aggredimini hoc callido ingenio; illud ipſum in aliud quodcumque munus inferetis, quoniam ipſum in vobis eſt, & numquam fideliores eritis in jure dicendo, quam in exercenda mercatura. Ita cum nullus ſit ſtatus, ubi ſalutem veſtram operari non valeatis, nullus eſt, in quo veſtram operari poſſitis, donec Chriſtiano more non vivitis, & non utimini iis ſubſidiis, quæ ſtatus veſter ſuppeditat vobis.

Sed iterum dico; hæc unice culpa veſtra eſt; nam ſecundo loco, quælibet conditio ſuppeditat media præſtandi Deo cultum, quem expectat a nobis, & recenti laborum, dolorumque acceſſione, agentes eadem, quæ agimus, & tractantes eadem negotia quæ tractamus, noſmet poſſumus ſanctificare; quia nulla eſt actio adeo vilis & abjecta in quovis munere, quæ bonis animari nequeat intentionibus, & cæleſtem mercedem adquirere. Itaque ad hoc ut ſalutem veſtram operemini, ac ſerviatis Deo, non ideo jubemini mundo extremum vale dicere, negotiorum veſtrorum curam abdicare, bonis, præſidiiſque veſtris abrenuntiare, quæ nihilominus vobis eſſent facienda, niſi aliter ſaluti veſtræ poſſetis conſulere; ſed Deus, ut ita dicam, vobiſcum paciſcitur; non jubet vos vitæ rationem, ac munus immutare, ſed jubet vos recte vivere, & omnibus officiis veſtris perfungi.

Nobilis ille vir a me ſciſcitatur, quo pacto conciliare poſſit gladium cum Evangelio, ſtrenuum, fortemque videri, ſimulque virtute præditum. Hoc non ita fortaſſe arduum eſt, ut cogitatis; immo ſi volueritis, hæc ratio erit, qua Deo utilem ope-

ram præſtare valeatis. Fateor equidem, ſi Nobilis viri officium in eo conſtituitis, ut ferocius inſultet omnibus, ut Regum more imperitet, ut tanquam exiguum Tyrannum in alienis agris ſe gerat, nequaquam ingredimini viam ſalutis veſtræ procurandæ; verum addo hac in re voſmet a nobilitate veſtra degeneres eſſe, & in hac ipſa conditione voſmet minoribus ſumptibus ſalutem aſſequi poſſe, quam iis, quibus vobiſmet comparatis interitum. Enſis iſte, quo præcincti eſtis nonniſi in Religionis, & Principis veſtri commodum e vagina educatur; non autem ad ſuſtinendas privatas lites, eaſque etiam contra divina, humanaque jura evacuandas. Hoc a vobis requirit Deus; hæc fortitudo genere veſtro digna in reipublicæ ſalutem, non in oppreſſionem eorum, qui vobis ſubditi ſunt, exerceatur: Tunc quin pietas, ac virtus vos dedecore afficiat, præcipuum erit ornamentum veſtrum. Illa hunc domui veſtræ nitorem, & hanc majoribus veſtri° gloriam comparavit; hæc ipſa eamdem vobis propriam faciet, ac tuebitur, eamque ad veſtram traducet poſteritatem.

Nequaquam, Judices, & Magiſtratus, ut ſalvi ſitis, neceſſe non eſt, ut hanc dignitatem abjiciatis, in qua vos omnes metuunt, & colunt; utimini hac auctoritate, quam Deus in manibus veſtris collocavit, ut aliis jus diceretis, ut in improbos animadverteretis, ac innocentiam tueremini: uno eodemque tempore duo illa perficietis, quæ Deus præſtolatur; Eximii Judices eritis, eximiique Chriſtiani: Providentia omnia ita diſpoſuit, ut quo melius munere veſtro perfuncti fueritis, eo melius, ac facilius ſalutem veſtram operabimini.

Nequaquam, Nobiles Matronæ, nequaquam metuite; non quæro, ut ad ſalutem veſtram procurandam, confugiatis in clauſtra: id unum quæro, ut pietas, quæ ſexus veſtri pars eſt, ſit paullo in vobis ferventior; plurima efficere poteſtis bona, ſine magno labore, veſtro dumtaxat exemplo; & numquam vitam ſtatui veſtro magis conformem duceretis, magiſque divino de vobis conſilio congruam, & magis mortalium omnium approbatione dignam, quam cum verecundiam, modeſtiam, pietatem ſequemini. At jam probe noſtis, quid vobis faciendum ſit, quin me doctore egeatis: illud unum adjiciam quod cum ſalutem veſtram operari facilius valeatis in ſtatu veſtro, quam in aliis plurimis, id ni feceritis, vos nequiores, magiſque inexcuſabiles futuras.

Illud vero mortalibus omnibus notandum eſt, quidquid eſt de eſſentia cujuslibet muneris, vel conditionis nequaquam officere poſſe noſtræ ſaluti, & ſanctitati. Huic nihil obeſſe poteſt, niſi ea, quæ ipſi adjicimus: nam quærere ibi victum, vel occupationem, & ſe ſe reipublicæ utilem præbere; hæc de cujuſlibet muneris, vel officii eſſentia eſt; & donec intra hos cancellos ſubſtiteris, dicere audeo, virtutem perfecturam opera tua, non ſecus ac viciſſim opera tua conferent aliquid ad virtutis exercitationem. Sed Satanas, quem Tertullianus appellat corruptorem operum Dei, his immiſcens ſua; Satanas, inquam, detorquet illa, iiſque abutitur in uſus prorſus oppoſitos naturæ, & inſtitutis eorum, cum ſequimur placita quæ ſuggerit nobis, & hæc eſt cauſſa malorum omnium, quæ in civili, & morali Mundo contingunt.

Vis hoc in munere, ac ſtatu opes congruere; hoc unum feſtinas; ideoque hæc cauſſa eſt tot injuſte factorum, tot fraudum, tot laborum, qui minime ad locupletandum ſunt liciti. Hac arte creſcere vis, & ſupra ceteros ejuſdem ſtatus eminere; hinc oritur luxus, hinc pretioſa ſupellex, hinc ſervorum caterva, hinc ſumptus inſani. Otium fallere quæris: hinc alea, hinc ludi, ſolatia, convivia, omniumque ſocietatum frequentia, quæ totidem ſunt obices muneri tuo, ſimulque tuæ ſaluti; ſed attende, ea omnia, quæ te ad peccandum impellunt, eſſe aliena a munere tuo; & omnia, quæ aliquid conferunt, ut conditionis tuæ officiis fungaris, te ſimul ſanctiorem, & virtuti propiorem efficere, & ita duo hæc non ſolum mutuis ſubſidiis firmari, ſed etiam hæc unum illud eſſe, quod a nobis expetit Deus.

Ut igitur ſermoni huic finem faciamus per ea, a quibus exorſi ſumus; ſi in omnibus conditionibus ſalvari poſſumus, qua de re dubitare non licet; quinam erit aliquando mœror quæ pœnitentia videre, tot inter vias, ac media ſalutis operandi, aliquem in nullam redditus ſpem interiiſſe? Quid non exprobrabit huic reprobo Deus? Ego te ibi conſtitueram ubi facile cælum merereris; ego te eo in loco poſueram, ubi plures tibi paterent in cælum viæ: memet tuo aptaveram ingenio, ſtudiiſque tuis, appellans te in ſtatum hunc, & nihilo ſecius auxilium meum neglexiſti, & periiſti! *Perditio tua ex te, Iſrael.* (*Oſee* 13.) Te igitur perdidit voluntas tua, tu juxta voluntatem tuam æternum eris miſer.

Quam in hoc miſero deſperationem non ciebit crudelis hæc exprobratio? Tunc jure dicere poterit hæc verba: *Non poſuit nos Deus in iram, ſed adquiſitione ſalutis.* (1. *ad Teſſal.*) Nequaquam me in hoc ſtatu poſuerat Deus, neque ad munus hoc appellaverat ut in hoc perirem, & fierem objectum indignationis ſuæ, ſed ut meæ ſaluti conſulem. Non accuſabit ille ſtatum hunc, neque hanc conditionem, vel munus, ſed hujus hominis infidelitatem, qui abuſus eſt cum iis commodis, quæ illi conditio ſua ſuppeditabat, ut ſe redderet infelicem; tum Dei beneficiis, ut caput ſuum ea detraheret mala, quæ patitur, & munere ſuo, ut ſua ſcelera tegeret. Deus omnia ad illius ſalutem diſpoſuerat, & ille effecit, ut omnia in ſuam damnationem converterentur, Hæc erit cauſſa rabiei, & crudelis, inutiliſque pœnitentiæ, ac dolorum, quibus cor illius in æternum torquebitur.

Noſtrum igitur eſt, Auditores, hæc mala prævertere; nobis Dei conſiliis obtemperandum eſt, ac ſedulo laborandum ut in ſtatu, & conditione, in qua nos ille collocavit, ſanctificemur; quoniam omnes excuſationes, omneſque prætextus, qui a nobis afferuntur, omni carent fundamento. Si nondum certam aliquam vitæ rationem ſumus amplexi, deliberandum eſt; neque cæcorum more, Deoque inconſulto noſmet conjicere debemus in ſtatum aliquem, a cujus delectu ſalus noſtra pendet in æternum. Sed ſi delectus jam habitus eſt, ſi ſtatum aliquem ſumus ingreſſi, ibi omnino Deo ſerviendum eſt, & ſtatus ipſe convertendus eſt in medium noſtræ ſalutis, & ſanctitatis.

SERMO SECUNDUS.

Vult Deus omnes homines Sanctos fieri quacumque ſint in conditione.

Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Levit. 2.

SI præceptum, quod irrogavit hominibus Deus, ut Sancti eſſent, vobis injicit admirationem, quia ejus executio æque difficilis eſt, ac urgens, & inevitabilis eſt obligatio; audeo dicere nihil melius oſtendere poſſe ardens, ſincerumque deſiderium Dei ipſius illos æternum felices efficiendi. Tandem enim hinc inferendum eſt, eidem ſatis non eſſe eos creaſſe in finem hunc, iiſque ſuppeditaſſe neceſſaria adminicula, ut eo pervenirent; verum etiam illos urgere, & cogere, ut viam ingrediantur, quæ ad ſupremum hoc bonum adducit; quia ſicut nihil inquinatum introire poteſt in regnum Dei, & meritis tantum via patet ad illud; Sanctitas, quæ conditio eſt, qua poſita Cæli gloria nobis promiſſa eſt, ſita eſt tum in fuga peccati, quod nobis aditum poteſt intercludere, cum in praxi virtutum, quibus hanc mercedem promeremur. Sed quemadmodum Sanctitas facta eſt violenta naturæ corruptæ, & exigit, ut aſſiduos exeramus in nobiſmetipſis conatus ad illam indipiſcendam: Deus ut præceptum nobis reddat facilius, Sanctorum gloriam proponit, tanquam potiſſimum objectum quod in nobis animum valeat excitare. Rationes per ſe patent, & illas exhibere ſatis eſt, ut de illis omnibus perſuadeatur. Has autem depromo ex ipſis qualitatibus gloriæ hujus, quæ ſimul eſt noviſſimus finis noſter, & merces laborum noſtrorum, & quæ neceſſaria illatione noſtram beatitudinem, noſtrumque ſupremum bonum conſtituit. Latius paullo rationes has amplificemus, & animum, quæſo, advertite, ut illas intelligatis.

Primum Deus, qui fecit hominem ad imaginem ſuam, illum quoque, ut noſtis, unice fecit propter ſe; ita ut ille ſit principium noſtrum, ſimulque noſter ultimus finis, & ex clara viſione divinæ hujus eſſentiæ, ejuſdemque poſſeſſione fiet, ut hæc imago, quæ opus eſt manuum illius, recipiat noviſſima lineamenta ſimilitudinis ſuæ, quemadmodum dilectus ejuſdem Diſcipulus profitetur: *Similis ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Quam nobilis hic finis eſt, Chriſtiani, & quam ſpectabilis coram Deo, quandoquidem factus eſt, ut ipſo Deo perfruatur! Sed quod recte intelligere, & numquam obliviſci oportet, id eſt, nobilem hunc, ſublimemque finem adquiri non poſſe, niſi per media congrua & idonea, videlicet per virtutes, & actiones ſanctas, quæ homo divina ope ſuffultus neceſſario debet exercere, ut ſanctificetur, & reſpondeat conſiliis, quæ de illo Deus fovet. Dico autem cogitationem, & intuitum finis hujus præſtantiſſimi excitare debere Fidelem ad ſancta opera agenda, quod dicitur laborare ad adquirendam Sanctitatem, quæ unica & inevitabilis via eſt, per quam perveniamus ad gloriam, ad quam anhelamus. Quare? quia hoc diſcriminis intercedit inter hominem, & entia, anima & ratione carentia, quod illa ad finem ſuum feruntur per naturalem inſtinctum, in ipſo eſſentiæ ſuæ fundo impreſſum, quin umquam aberrent, vel ne latum quidem unguem deflectant. Norunt viam ſuam; callent media, quibus utendum eſt ad hunc finem; & numquam falluntur in eorum uſu. Cum igitur illis neque deliberandum ſit, neque eligendum, quibus rebus idonea minime ſunt; non eſt, cur impellantur; tuto procedunt vel potius naturæ ipſius propenſione feruntur.

Hoc autem de homine dicendum non eſt; cum finis, ad quem Deus illum deſtinavit, ſupra naturam ſit, natura ad illum deducere non poteſt. Sæpe ignorat quænam ſibi ingredienda ſit via, ut illuc perveniat, & alieno eget ſubſidio, cum ex ſe non habeat ſatis virium, ut illuc tendat. Illud autem magis mirum eſt, quod majores difficultates ad id ſuperandæ ab ipſo proficiſcuntur; quia hæ ſunt vitia, animi ægritudines, perverſæ cupiditates, totidem videlicet obices huic fini. Scio equidem Deum nequaquam creaſſe hominem hac in perturbatione mentis; ſed poſtquam ille ſemet in illam conjecit per peccatum, Deus ibi eum reliquit, & ſatis eſſe cenſuit opem illi præbere ſuarum gratiarum, quibus difficultates has ſuperaret, aperire illi Cælum, quod ſibi per rebellionem obſtruxerat, & ut omnia verbo complectar, præceptis,

& exemplis ſuis viam indigitare, quam ſequeretur. Verumtamen via hæc aſpera eſt adhuc, difficiliſque, naturæ corruptæ ſtudiis oppoſita; & opus eſt, ut hic homo impellatur, & excitetur ad ambulandum ſecus ſemitam illi indigitatam a Deo, quæ Sanctitas eſt, ſine qua nemo ad beatum hunc finem poteſt pervenire. Sed iterum dicam, quidnam validius excitare illum poteſt, niſi aſpectus, & cogitatio hujus finis, cujus efficax, fervenſque deſiderium efficit, ut animoſe ſuſcipiantur ea media, quæ difficillima videntur, & quæ natura ipſa perhorreſcit?

Profecto Sanctitas, quid aliud eſt, niſi congeries virtutum omnium, exercitatio omnium operum bonorum, acervus meritorum, & actionum piarum, per quas adquirimus gloriam, quam nobis Deus deſtinavit? Cumque finis prima ſit omnium noſtrorum operum cauſſa; & omnes difficultates noſtras cieat; niſi hunc nobis finem propoſuerimus, niſi ſæpe hunc terminum reſpexerimus, & ad gloriam hanc, qua Sancti fruuntur, & qua cum illis aliquando fruituri ſumus, contenderimus, & ſerio fuerimus meditati; nequaquam video, quomodo ſatis fortitudinis, animique haberi poſſit ad amplectenda ea media, quæ ad illam adquirendam ſunt neceſſaria. Tandem enim ſanctitas plurimo labore ſtat naturæ, curam poſcit, vigilantiam, vim quoque ſibimet inferendam. Magnum igitur quiddam requiritur ad excitanda languentia deſideria noſtra, ad ciendum ſpiritum ſemiſopitum, ad vellicandam ambitionem naturalem, proponendo illi pro objecto tantum hoc boni: alioquin nonniſi tenues conatus exeremus, ac parum proficiemus in hoc adeo moleſto ſtadio Sanctitatis.

Itaque ſublimem nobiſmet adſtruamus ideam ſummi hujus boni, attollamus identidem oculos noſtros in Cælum, animo luſtremus beatam ſedem illam, contemplemur gloriam, qua Sancti perfruuntur, & nobiſmet ipſis dicamus: en ad quid creatus ſum; hoc Fides mea, ac Religio me docent. Sancti, qui illius poſſeſſionem adierunt, me expectant ſocium ſuæ felicitatis, ut Regius inquit Propheta: *Me expectant juſti.* (*Pſ.* 141.) Eheu! objectum illud adeo ſuave par non eſt inflammando quidquid ignis & ardoris eſt in noſtris deſideriis? Non cognoſcimus quidem veritatem, & magnitudinem hujus boni, neque aſpicimus fulgorem hujus gloriæ; ſed Apoſtolus, qui ad tertium uſque Cælum raptus fuerat, ubi nonnihil ejuſdem fuerat intuitus, ſatis ea teſtatur, quæ vos excitare poſſunt, ut omnia audeamus, illam aliquando poſſeſſuri, cum inquit, ea, quæ beata in ſede nobis præparavit Deus, majora eſſe ſenſibus noſtris, & excedere quidquid cor humanum capere, & cupere poteſt: *Quod oculus non vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* (1. *ad Cor.*)

Quin inutilibus conatibus noſmet torqueamus, ut æquam nobis fingamus imaginem hujus loci, metiamur ſolum hujus boni magnitudinem ex captu cordis noſtri, qui quidem infinitus eſt, dicamuſque, bonum illud, quo cor meum replendum eſt, finis eſt meus, ad illud factus ſum, & propter hoc tantum in terra ſum. Hoc ſatis eſt. Vagum hoc, atque indeterminatum deſiderium felicitatis, quæ efficit, ut propter hoc unum agamus, tunc certum habebit ac determinatum objectum, videlicet gloriam SS. & nos coget viam deligere, per quam illuc perveniamus, & videntes non aliam adeſſe præter Sanctitatem, noſmet excitabimus eam ſecuti per illa Principis Apoſtolorum verba: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Hoc unum illud neceſſarium eſt, de quo loquitur Evangelium: ſed ne putetis, vos illud alia via, quam ſanctitate aſſecuturos eſſe, quæ in eo ſita eſt ut malum quidem fugiamus, bonum vero operemur: *Satagite per bona opera.*

Ecce autem, Auditores, fontem omnium malorum, ac vitiorum omnium, in quæ plerique homines incidunt; fere numquam animum advertunt ad finem propter quem creati ſunt; atque tantum abeſt, ut illum cogitent, ut pro fine habeant ea media, quæ illis conceſſit Deus, ut eo pervenirent. Neque enim aliam habent cogitationem, vel deſiderium, quam locupletandi in hoc mundo, nihilque illis antiquius eſt, quam ſuam provehere fortunam. Sexcenta nutriunt ambitioſa conſilia, nonniſi mundanam, fluxamque gloriam aucupantur, unde evenit, ut ſicut finis hic noxius eſt, media quibus utuntur illuc perventuri, minime ad ſanctitatem concedant. Heu! *Filii hominum uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* (*Pſ.* 4.) Exclamat Propheta, vobiſmet pro fine fallacia tantum Mundi hujus bona proponentes. Sectamini umbram fugientem, & nihil ſolidi habentem: ſed quia illam deperitis, nihil inauſum, atque intentatum relinquitis, ut votorum veſtrorum ſummam conſequamini. Utique homines vani, & amatores mendacii, vitæ rationem inverteretis, ſi verum finem veſtrum intueremini; illius poſſidendi cupiditas efficiet, ut media vobis ſuavia, ac facilia videantur. Horrentes haſce imagines, quas vobiſmet fingitis pœnitentiæ, mortificationis, auſteriſſimarumque virtutum, ſtatim evaneſcent, ubi cucurreritis in via mandatorum Dei, ut loquitur Propheta, ubi cor veſtrum dilataveritis ardentibus, ignitiſque deſideriis, quæ erga hunc finem fovebitis, qui nonniſi per ſanctitatem obtineri poteſt, quia hæc ſimul eſt merces laborum noſtrorum.

Hæc ſecunda qualitas eſt, quam connotare debemus in hac gloria, & quæ nobis perſuadere debet, ſive nobis a Deo deſtinata fuerit ante, ſive poſt præviſa merita noſtra, quam quæſtionem pertractare non hujus eſt loci; nequaquam nobis eſſe concedendam, niſi tanquam pretium noſtræ ſanctitatis, & tanquam æquiſſimam noſtrorum meritorum remunerationem. Quam autem impreſſionem, amabo vos, non efficiet in frigidiſſimis, & ignaviſſimis cordibus hujuſmodi conſideratio? Cum vere illis perſuaſum erit, gloriam, qua Sancti perfruuntur, non eſſe remunerationem bonorum fortunæ, vel naturæ, non eſſe bona mentis, vel corporis, honores, dignitates, magiſtratus; quia res hujuſmodi non pendent a nobis, neque ſemper eſt in poteſtate noſtra illas poſſidere. Sed hæc gloria eſt remuneratio virtutum, & actuum, qui Sanctos efficiunt: videlicet, ſibimet emori per pœnitentiæ exercitia, abditam in J. C. vitam ducere, divulſam ab iis omnibus, quæ mortalia ſunt, ut Deo uni adhæreat; ſe ſe conformare ad Evangelii placita, & ut omnia verbo complectar, omnia juſtitiæ officia adimplere. Hæc ea ſunt, quæ fecerunt Sanctos; hæc illos conſtituerunt in poſſeſſione gloriæ, qua perfruuntur in cælo; & hoc ſignificare voluiſſe videtur Apoſtolus per hæc verba: *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem.*

Beati Sancti illi, quos veneramur, eo quod didicerint Sanctitatem unicum eſſe bonum, quod noſtras in hac vita curas, operamque meretur. Sed beatiores, quod his laboribus, crucibus, ærumnis gloriam hanc pro mercede meriti ſunt. Mercede opima, affluenti, conferta, & coagitata, ut loquitur Evangelium, cujus alia in occaſione adumbrationem quamdam vobis præbere adniſus ſum. Eam hic ſupponamus ſpe noſtra majorem, & ampliorem omnibus deſideriis noſtris, quantumvis hæc ſint ampliſſima, & dicamus, ſi hæc incomprehenſibilis remuneratio, quæ omne poſſibile bonum complectitur; nam ipſe Deus illius objectum eſt, non poteſt nobis ſanctitatis amorem immittere, quæ unica via eſt ad promerendam illam; opus eſt, ut Mundi hujus illecebræ nos omnino ſeduxerint, ac ita faſcinaverint, ut numquam animum adverterimus ad magnitudinem ejus boni, quod eſſe debet pretium ſanctitatis, virtutis, & laborum, quos ſubituri ſumus ad illud adipiſcendum.

Si enim nihil ita periculoſum, & difficile eſt, quod non aggrediamur leviſſima etiam illecti ſpe, ſi corona eminus nobis propoſita, non efficit, ut noſmet graviſſimis objiciamus periculis, & omnes infringamus obices, qui conſiliis noſtris adverſantur, ſi omnibus etiam vitæ hujus deliciis nuntium mittimus pro tenui honoris umbra, ſi quotidie videntur, qui crucem figunt libertati ſuæ, & naturæ ſuæ vim inferunt, & ab æquiſſimis abſtinent ſolatiis, ut mortalis alicujus Principis gratiam aucupentur; ſi denique omnia nobis videntur facilia, cum ſperamus nos id conſecuturos, quod deperimus, & tanquam graviſſimum bonum intuemur: *Videbantur pauci dies præ amoris magnitudine,* (*Geneſ.* 25.) Sacer Textus ait, ubi loquitur de Jacob, qui cupiebat obtinere Rachaelem in pretium laborum ſuorum, & cui tot anni aſſiduorum laborum nonniſi pauci dies videbantur: Sanctitas licet moleſta, ac difficilis, videbiturne ardua, & inhoſpitalis, cum remunerationis magnitudinem intuebimur? Levis laboris momentum nobis negotium faceſſet? Tum una cum Apoſtolo conſiderabimus, illud exceptum iri immenſo pondere gloriæ? Conqueremur de vi, quæ nobis paulliſper erit inferenda libertati noſtræ, ubi cogitaverimus id nos pati ut mox longe glorioſius per omnem æternitatem eadem perfruamur? Graviſſimi quilibet labores, contumeliæ acerbiſſimæ, ac teterrimæ mortificationes, quæ nobis maximum cient horrorem, deliciis affluere nobis videbuntur, ubi alte nobis perſuaſum fuerit, nos poſt has pœnitentiæ auſteritates, æternum gaudiis, & voluptatibus cumulatum iri.

Felix pœnitentia: dixit olim Sanctus quidam vir, qui poſt obitum ſuum gloria circumundique amictus Sanctæ apparuit Thereſiæ: *felix pœnitentia, quæ talem mihi promeruit gloriam.* (*S. Petrus Alcantara in ejus vita.*) Felix pœnitentia, quæ me introduxit in poſſeſſionem gloriæ, qua fruor. Felices labores, qui tam celeriter effluxerunt, & quos beatitudinis æternitas remunerabitur. Auſteritates & mortificationes, quarum exercitationes duræ adeo videntur, & quarum vel nomen ipſum ignorare volunt homines delicati, quandonam temperatæ non eritis iis conſolationibus, quibus cumulat Deus cor, quod fidele permanere vult in cultu illius? Quanam ſuavitate perfunditis illum, qui immortalem ſperat gloriæ coronam? Sanctitas, uno me expediam verbo, quam amabilis videris illi, qui cogitat de mercede ſua! Utique; qui ſerio hanc meditaretur, quam primum omnibus mundi vanitatibus abrenuntiaret; reſpiceret quidquid nos allicit, & noſmet in iiſdem moratur, tanquam nugas & ineptias; & uti Moyſes, teſte Apoſtolo Paulo, mallet cum Dei populo affligi, quam Ægypti regnum poſſidere. Heu! quid magno huic Legislatori ſenſus adeo nobiles inſpirabat? Sanctus idem Apoſtolus rationem reddit: *Aſpiciebat enim in remunerationem.* (*Heb.* 11. 26.) Spectabat mercedem ſibi paratam. Quam eo quod hominum plerique non ſpectant, tot motibus, laboribuſque torquentur ad aucupandam famam doctorum, eruditorum in arte ſua valentium, & in negotiis gerendis ſumma dexteritate pollentium; cum interim noviſſima illorum cura ſit, ſemet ſanctos, perfectoſque Chriſtianos efficere. Tamen Apoſtolus noſter exclamat parum rationabile eorum factum admiratus: *& hi, ut corruptibilem coronam accipiant.* (1. *Ad Cor.*) Hi mortales, qui tot exhauriunt labores, qui tot ſubeunt pericula, non aliam habent mercedem, niſi coronam

corruptibilem, & brevi duraturam, cum fideles incorruptam, atque æternam remunerationem videlicet Sanctorum expectent: *Nos autem, ut incorruptam.*

Conſideratio hæc in nobis efficere debet impreſſionem eo validiorem, ac vividiorem in mentibus, & cordibus noſtris, ut nos ad Sanctitatem alliciant; quia hæc tertia qualitas eſt vel potius tertius gloriæ hujus effectus, ut nos neceſſario, & perfecte felices efficiat; quia proprium eſt finis extremi, ſimul eſſe ſupremum illorum bonum, qui ad eum pervenerunt; videlicet omnia eorum explere deſideria, & nihil reliquum facere, quod cupiant. Huc Sancti pervenerunt, adepti ſunt cumulum felicitatis ſuæ, & Beatorum nomine, non ſecus ac SS. appellantur, ad oſtendendum ipſos per vitæ ſuæ ſanctitatem ſummum hoc bonum conſecutos fuiſſe. Hoc eſt paucis verbis multa complecti; & nihil ſcio neque validius, neque aptius ad vos ad Sanctitatem hortandos, quam ſæpius iterare, hoc unicum eſſe medium ad æternam, perfectamque beatitudinem promerendam.

Jam dixi vobis, naturam nobis integrum nequaquam reliquiſſe, ut felicitatem minime optaremus. Neceſſario beatos eſſe volumus, tunc etiam cum longius a vera beatitudine noſtra per vitia, & crimina noſtra recedimus: neque neceſſe eſt prolixos habere ſermones, ut habuit S. Auguſtinus, ut nobiſmet perſuadeamus. Sed cum Chriſtiana tantum Religio docuerit homines, qua in re conſiſtat hæc ſumma felicitas, videlicet in poſſeſione ſupremi boni, quod ipſe Deus eſt, una hæc eadem Religio docet nos viam, per quam illuc perveniamus, quæ Sanctitas eſt; ita ut ſi veram obtinere volumus felicitatem, quæ ſola cumulare poteſt deſideria noſtra, & nos perfecte beatos reddere, nos votorum noſtrorum compotes efficiens; laborandum nobis ſit, ut adquiramus Sanctitatem. Fruſtra impii, & mundi hujus mancipia conantur ſatisfacere cupiditatibus ſuis, ut in hac vita ſuam inveniant beatitudinem. Hanc enim conſequi nequeunt, & in horum bonorum perfruitione nonniſi amaritudinem, & ſpiritus afflictionem inveniunt. Fruſtra congerunt opes, atque theſauros tanquam medium ad obtinenda ea, quæ poſſunt optare; cognoſcuntur ſollicitudines & mœrores, quibus exagitantur, & qui prohibent ne quæſita requies inveniatur. Fruſtra quæruntur ardore tanto voluptates, propter quas pluſimi libenter alterius vitæ voluptatibus abrenuntiant; ipſe enim Deus non ſinit, ut illis libidinoſi tranquille perfruantur. Eos perturbat, ſexcentis conſcientiæ aculeis ſollicitat, eos timore judiciorum ſuorum, juſtitiæque ſuæ terribilibus exemplis exagitat: ſed præterquamquod Sanctitas efficit, ut in hac ipſa vita perfruamur pace, & tranquillitate conſcientiæ, quod inexplicabile bonum eſt, & omnes ſenſus noſtros ſuperat, ut loquitur Apoſtolus, hæc una nobis jus præbet ad ſupremam alterius vitæ felicitatem; quandoquidem hæc illa eſt conditio, quam ipſe Deus ad illam promerendam conſtituit, quemadmodum patet ex Evangelio de octo Beatitudinibus, qui fuit primus ſermo, quem palam habuit Salvator, in populo; in quo continetur, quidquid faciendum eſt, ut Cælum mereamur, & qui ex ipſis beatitudinibus nomen accepit; quia nobis certam facit æternam beatitudinem, conſtituens noſtram Sanctitatem.

Itaque ad intuitum gloriæ SS. quam Eccleſia ob oculos nobis conſtituit, abjicere debemus duos errores inſignes, qui pleroſque mortalium fefellerunt, & qui in cauſſa ſunt, ut tam pauci ad Sanctitatem adipiſcendam contendant; alterum illorum eſt, qui ſummum quidem bonum inquirunt, pro quo omnes creati ſumus, vel qui putant ſe illud in mundo invenire poſſe per inſignem cæcitatem, quam omnia Chriſtianiſmi lumina diſſipare non valuerunt; licet Ethnicorum Sapientiſſimi ſui docti experientia cognoverint nihil his nos efficere beatos poſſe, neque ullam nobis ſolidam afferre voluptatem, quia hic non eſt niſi nitor mendax, & figura, quæ præterit, S. Paulus uit: *Præterit figura hujus mundi*. (*1. AdCor.*) Fallax beatitudo, quæ inflat ſuperbos in elevatione ſua, pauperes facit in copia, miſeros etiam in proſperis rebus eorum; ficti honores, qui nobis moleſtiſſimas pariunt pœnitentias, qui nos palpant, & ſeducunt, qui habentur tanquam præeminentiæ, qui conciliant reverentiam; ſed qui in rerum veritate non aliud ſunt, quam ſpecioſæ ſervitutes. Fallacia bona, quæ nonniſi multo cum labore adquiruntur, cum ſollicitudine aſſervantur, & quæ nonniſi ſummis cum mœroribus amittuntur. Fallax tandem potentia, quæ ut plurimum miſeros efficit, & ſontes.

Sed error alter, quem gloriæ SS. meditatio homini Chriſtiano debet auferre, eſt credere alteram eſſe viam perveniendi ad veram beatitudinem, præter Sanctitatem; quoniam labori tantum merces debetur, & meritis gloria, & utrumque ſanctitas dimetitur: hæc enim mens eſt Eccleſiæ, tunc cum nobis oſtentat generatim gloriam SS.; nam ſimul nobis in mentem revocat memoriam earum rerum, quas illi fecerunt, ut inæſtimabilem hanc beatitudinem aſſequerentur: *Beati pauperes ſpiritu... Beati miſericordes .... Beati, qui lugent... Beati, qui perſecutionem patiuntur &c.* (*Matth. 5.*) Alii generoſe ſanguinem effuderunt, ut fidem ſuam propugnarent: alii pœnitentiæ lacrimas ad expianda peccata profuderunt; ibi Confeſſores ſexcentos labores paſſi ſunt, ibi Virgines ſeſe a mundi labe præbuerunt immunes. Hac ex parte videtis Anachoretas, qui ſeſe in ſpecus, ac deſerta receperunt; ex alia Cœnobitas ferventes, qui ex corporibus ſuis fecerunt hoſtiam viventem, ut loquitur S. Paulus. Videtis demum Beatos ex omnibus ordinibus, ætatibus, ſexibus, conditionibus, regionibuſque, quemadmodum oſtendit Deus dilecto diſcipulo ſuo; ſed omnes ſunt Sancti, omnes geſtant palmas in manibus ſuis in victoriæ ſuæ monumentum. Omnes meruerunt hanc beatitudinem diverſis quidem rationibus; ſed ſanctitas medium fuit generale, quo adepti ſunt gloriam tanquam juſtitiæ coronam, quemadmodum illam S. Paulus appellat: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex. Corona juſtitiæ*, quia nonniſi Juſtis & Sanctis debetur, & quia merces eſt bonorum operum, atque virtutum: *Corona juſtitiæ*, quia nonniſi pro bonis actionibus tribuitur; verbum hoc aſſumendo in Scripturæ ſenſu pro Sanctitate, quæ efficit homines juſtos coram Deo. *Corona juſtitiæ* tandem, quam juſtus Judex non largitur niſi in præmium operum juſtitiæ: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex.* (*2. adTimot.*) Verum poſſumuſne adquirere hanc juſtitiam, & ſanctitatem, cui hæc debetur corona, gloria, & ſummi boni poſſeſſio? Ita ſane, hoc enim invicte nobis perſuadet exemplum Sanctorum.

II. PARS. Si hinc quidem Sanctitas unica via eſt, tuta ac certa, quæ ducit in cælum, & ad SS. gloriam perfruendam, bona fide confitendum eſt etiam, viam hanc aſperam eſſe, inviam, arduam, ſalebroſam, & inutile futurum excitare aliquem ad illam ingrediendam, niſi oſtenderetur quænam ſemina eligenda eſſent, quinam evitandi ſint ſcopuli, ac ſuperandi obices, ut tandem ad beatum hunc terminum perveniatur. Ad id autem illud primum eſt animadvertendum: quemadmodum hæc via arcta eſt, difficilis, ac parum frequens, qualem Dei Filius nobis repræſentat, nobis hanc ſternendam fuiſſe, nobiſque indigitandum qua ambulandum ſit, aliquo duce nobis præcedente. Secundo loco, quemadmodum in tota hac via non deſunt laquei & inſidiæ nobis ubique poſitæ: *Mundus totus in maligno poſitus*, (*1. Jo:*) ut loquitur Scriptura, ideo tutis ducibus opus fuiſſe, a quibus illas effugere doceremur; & demum ſicuti adſunt terribiles, & formidabiles inimici, qui noſtris adverſantur conſiliis, & in ſingulos fere gradus nos morantur, nos indigere doctoribus rerum experientia doctiſſimis, qui nobis oſtendant quomodo dimicandum ſit; alioquin quemadmodum non poterimus in hac ambulare via, quæ ducit ad Cælum; ita numquam perveniemus ad gloriam, quam poſſident Sancti. Igitur paucis oſtendamus, SS. exempla nos in rebus omnibus deducere, ideoque oſtendere nos poſse gloriam eamdem adquirere, quam illi promeriti ſunt.

Primum, ſi uti ſuperius dictum eſt, fruſtra ad æternam anhelamus felicitatem, quæ ille terminus eſt ad quem contendimus, niſi veram ingreſſi fuerimus viam, quæ illuc ducit; idem peccatum, quod a mundi origine, nobis aditum intercluſerat, tot tenebras, tantamque ignorantiam mentibus noſtris offuderat, ut nos lateat quanam via illuc ſit redeundum; utque hac de re doceremur opus fuit ut Deus de cælo deſcenderet, præcederet nobis, viamque nobis præceptis, atque exemplis ſuis ſterneret. Sed cum hæc via ſit adhuc ardua & difficilis, & ſanctitas, quæ unica via eſt, pluribus ſtet laboribus adquirenda; hic hominum Salvator ſatis eſse non putavit, ſi ſeipſum nobis in exemplum proponeret, & nos illum ſequi cogeret; noverat ille futurum ut difficultas alios deterreret, & via virtutis nimis anguſta & inhoſpita videretur, ejuſque prolixitas alios averteret; alios poſtquam ardenter ſtadium erant ingreſſi, medio in curſu ceſsaturos ac poſt terga reſpicientes, iterum in mundi vias abituros, ubi excidium eorum eſset inevitabile. Noverat hominis ingenium, & ſtudium cordis ejus, unde futurum erat, ut præſens voluptas futuri ſpem ſuperaret; noverat quam perdite hujus terræ bona ſectetur; & quam modico in diſcrimine habiturus eſset promiſſiones Dei, licet certæ, atque infallibiles eſsent; prævidebat quonam impetu humanæ conſuetudinis torrens illum raperet in omnia flagitia; verbo, noverat hinc quidem neceſſitatem in patriam noſtram redeundi per vias Crucis & mortificationis, quæ pariunt Sanctitatem, inde vero quot obices, ac difficultates in hac via invenirentur; ita ut quemadmodum flagitioſorum hominum exemplum nos detrahit in ſcelus, & efficit, ut in latam perditionis viam decurramus: e contra Sanctorum exemplum nobis Cæli viam oſtendit, nos docet, quid nobis faciendum ſit, ut eo perveniamus videntes, quid fecerunt alii, quomodo virtus, & Evangelii placita exercenda ſint, & conſiderantes, quomodo illi hæc in praxim redegerint.

Itaque de Sanctorum exemplo id dici poteſt, quod Tertullianus ait de exemplo Filii Dei: hanc videlicet ſolutionem eſſe omnium difficultatum, quæ afferri poſsent de neceſſitate cælum per ſanctitatem adquirendi: *Solutio totius difficultatis Chriſtus eſt*. Hoc omnes reſolvit difficultates, omnes enodat dubitationes, omneſque prætextus aufert. Chriſtianus enim ſpectare tantummodo debet omnes ordines, qui conſtituunt triumphantem hanc Beatorum ſocietatem, ut videat quocumque in ſtatu ille eſse poſſit, ſemper ſibi ob oculos verſari plurimos, qui ſibi illud iter ſtravere. Ab his diſcet quomodo ſibi terrenis bonis utendum ſit, ut mereatur cæleſtia; ab aliis diſcet paupertatis miſerias pati. Hi docebunt illum perferre injurias, perſecutiones, contumelias, ut augeant coronam ſuam ſexcentis actibus patientiæ; illi vero præbebunt abſolutiſſima pœnitentiæ exemplaria per hujus vitæ auſteritatem. Aliqui oſtendent illi quomodo in elatione ſervari poſſit humilitas; alii quomodo humilitas ſervari poſſit in honoribus, & in ampliſſimo loco, quem in mundo obtinuerunt; alii fidelem eſse in obeundis vitæ

Chri-

Chriſtianæ officiis in magna negotiorum turba, a qua honor, & magiſtratus ſui illos diſpenſare non valuit; verbo, cum aliæ, atque aliæ viæ ad beatam ſedem illam aperiant aditum, & non omnes Sancti eamdem fuerint ſecuti, noſmet componere poſſumus ad eorum exempla, qui ejuſdem ordinis fuerunt, ætatis, profeſſionis, vel qui in iiſdem muneribus, negotiiſque verſati ſunt.

Hoc pacto, in quo Sanctorum exempla eamdem efficere nequeant impreſſionem, quam effecit olim in animo Ignatii, qui adhuc mundi gloriam appetebat, quam ſe per arma ſperabat aſſecuturum, eſt nemo. Cum enim forte legiſſet, quomodo Sancti mundi hujus gloriam deſpexiſſent, quam ille deperibat; & quid illi tanto cum periculo auſi fuiſſent; tantum eorum fortitudinem admiratus eſt, & tanto exarſit illorum imitandorum deſiderio, ut ex eo temporis articulo generoſum illud inierit conſilium mundo abrenuntiandi, & in poſterum contendendi ad immortalem hanc gloriam. Hoc Sanctorum exemplum ſæpe in hominum mentibus peperit; & hac mente nobis ob oculos ponit illud; nam hac in re plerique fidelium ſimiles ſunt ignavis Iſraelitis ad terram promiſſam explorandam miſſis, qui non aliud nuntiarunt niſi graviſſimas difficultates potiundi regionis illius, quin verba facerent de ſummis commodis, quæ felix illa expeditio peperiſſet.

Terra, quam vidimus, inquiebant, devorat habitatores ſuos, ſexcenta monſtra deterrent eos, qui illuc pedem inferunt. Hoſtilis eſt regio, ubi procedere non licet, niſi quatenus mucronis acie via patet: & ubi tot fere ineunda certamina, quot proferendi ſunt gradus. Ecce, Auditores, quænam ſint effuſiſſimæ licentiæ verba ne viam ſequantur ejuſdem ſtudiis oppoſitam. Terror primum ignavos efficit, ubi ſermo eſt de Sanctitate adquirenda; nam ad id nuntius mittendus eſt voluptatibus ſenſuum, caro eſt mortificanda, infringenda ſunt vincula, quibus arcte adeo mundo adhæreſcunt; ſed Sancti, qui in hanc terram promiſſam ingreſſi ſunt, qui illius intuentur mirabilia, qui illius deliciis perfruuntur, & beata illa in ſede lætantur; aliud longe nobis nuntiant, & aliam longe diverſam illius imaginem exhibent. Fatentur illi quidem ſummis ſibi ſtetiſſe laboribus illuc pervenire, ſed guſtatam ibi voluptatem, toto cælo ſuperare laborem; viam hanc, licet anguſta & arcta dicatur, non eſſe tamen inviam ac inhoſpitam; quandoquidem multi ante nos illam ſtraverunt. Illorum exemplum evincit homines æquo licentiores, virtutem, & Sanctitatem non eſſe ita deſertas, ut putant, neque Cæli viam ita inacceſsam eſse, & ita infrequentem, & ignaviam noſtram eſse in cauſa, propter quam nobis tam ardua, ac aſpera videtur.

Secundo loco, Auditores, quemadmodum prudentia neceſſaria eſt ad evitandos laqueos, qui nobis in hac via Cæli tenduntur, non ſecus ac virtus, & animi robur ad omnes difficultates ſuperandas: ad id nobis prodeſt plurimum Sanctorum exemplum, qui prorſus divina ſapientia illuſtrati, & peculiari de ſurſum auxilio adjuti, detexerunt nobis lumine ſuo fraudes & inſidias, quibus dæmon uſus eſt, ut illos falleret, & in inſidias a ſe illis poſitas traheret. Et ſane quibus artibus uſus non eſt, ut eorum fidem quidem tentaret, & patientiam laceſseret? Quas quidem tentationes aliqui paſſi non ſunt, alii vero quot ſubiere pericula? Quibus ſpecioſis prætextibus uſus eſt ſanctitatis, & beatitudinis illorum hoſtis, ut illos averteret ab officio? Nonne millies eorum fallere vigilantiam adniſus eſt? Nonne ſæpius illos in delicatis occaſionibus implicare conatus eſt? Nonne millies ſecretas artes, & machinamenta expertus eſt, ut illos ab inito conſilio dimoveret, ut eos a juſtitiæ tramite deterreret? Ergo Sanctorum exempla nos docent omnes id genus laqueos evitare, & quomodo noſmet gerere debeamus in hujuſmodi occurſibus, & circumſtantiis! Nonne docent, quomodo nos vigilare deceat adverſus calliditatem, ac dolos amoris propri, qui nequiſſimus eſt ſanctitatis inimicus? Quo pacto reſiſtere debeamus cupiditatibus noſtris, quæ non minus ſubdolæ ſunt, quam violentæ, & qua ratione noſmet a voluptatum illecebris cavere nos deceat? Tandem enim in eadem via ſumus, in qua illi fuerunt; iiſdem periculis ſumus obnoxii, quibus illi patuerunt; eædem nobis evitandæ ſunt inſidiæ, eædem animi affectiones ſubigendæ, eædemque metuendæ tentationes. Heu! Undenam melius edoceri poſſumus de his rebus, quam eorum exemplo, qui eaſdem tentationes experti ſunt, qui primi ante nos viam hanc deambulaverunt, qui hos nobis ſcopulos indigitarunt, has inſidias detexerunt, de his periculis admonuerunt, & qui hæc omnia adeo feliciter evitaverunt? Eorum igitur exemplum eximius eſt magiſter, qui non minus docet quid ſit fugiendum, quam quid faciendum eſt, ut tuto ambulemus in via ſanctitatis, & ad cælum feliciter perveniamus.

Ut autem hæc in praxim redigamus, Auditores, ecce, exempli gratia hominem, qui ſe Deo deſervire, ac ſemet ſanctificare conſtituit, quandoquidem hoc illi perſuaſum eſt, unicum eſſe medium, per quod in æternum eſſe poſſit beatus; ſed per ſummam infelicitatem aberravit a via, quæ ad cælum perducit ab ipſa adoleſcentia ſeſe conjiciens in mundi commercium, cujus ſpiritum ac placita didicit. Quid huic dicetis aptius ad illum in conſilio ſuo confirmandum, & a priſtino errore revocandum, quam ſub oculis ejus collocare peccatorem converſum, qui generoſe pœnitentiam amplexus eſt, & quin ejuſdem rigores eum deterrerent, credit ſe nihil unquam facere poſſe, ut juſtitiæ læſi Dei ſatisfaciat? Hic alius terrenis implicitus eſt negotiis propter ſtatus, & muneris ſui impedimenta: quid melius poteſt erudire illum, opus eſſe, ut ſe Deo præbeat fidelem, quam exemplum eorum, qui eo in ſtatu innocentiam ſuam conſervarunt, ac ab aeris contagione, quæ tot alios infecit, ſe incolumes præſtiterunt per jugem in ſemet vigilantiam; & ut mundi illecebras, & inſidias evitet fuga, quemadmodum illi laqueos ejuſdem, ac fraudes evitarunt; ſecuti lumina, & placita Evangelii?

Quod ſi quis ſe in Cælo putat locum inventurum, & adepturum ſanctitatem ſine tanto labore, ac tot præcautionibus; quoniam nimium frequentes hodierna die ſunt, qui putant ſe conciliare poſſe placita ſæculi cum ſenſibus Chriſtianæ religionis, vitam ducentes mollem, inertem, ſemotam quidem a graviſſimis criminibus, ſed quæ nullam ſibi vim infert, & nulla merita adquirit. Si hæc vita illi tuta videtur & commoda, quia non deprehendit in illa crimina enormia, & flagitia, quæ ſcandalum pariant, ad illum a periculoſo hoc ſtadio revocandum, illi repræſentare debemus, Sanctos nequaquam ſecutos fuiſſe viam hanc, ut ad Cælum pervenirent, & alia inſiſtere via ab ea, quam illi ſecuti ſunt, idem eſſe ac ſequi viam perditionis: nam quamvis plurimis recta videatur, qui illius periculum videre detrectant, tamen deducit ad interitum, ut loquitur Sapiens: *Eſt via quæ videtur homini juſta, & noviſſima illius ducunt ad mortem.* (*Prov. 14.*)

Occurrunt alii, qui profecto viam ingrediuntur tutiorem, amplectentes ſtatum ſanctiorem, vel Eccleſiæ inſervientes, vel ſeſe caritatis operibus mancipantes. Hæ, fateor equidem, viæ ſunt, quæ rectius, quam priores ducunt in Cælum, ſed quæ tamen ſatis frequenter incidunt in laqueos, quos Sancti ſumma cura evitarunt, eo quod ſe ſe non conformant eorum exemplo, quo docemur, ſtatum aliquem non eſſe eligendum per avaritiam, vel per humanos reſpectus, & ſatis non eſſe pietatis opera facere, niſi fiant propter Deum, & propter cauſſas, & chriſtiana, & ſupernaturalia conſilia. Itaque in omnibus actionibus noſtris imitari debemus Principem illum, qui in omnibus actibus conſulebat Imaginem Patris ſui, ſecundum quam ſemet formare cupiebat; ad examen vocabat, quid ille ſimili in occaſione feciſſet, ſi adfuiſſet. Hoc nobis faciendum eſt, Auditores, in vitæ noſtræ variis circumſtantiis; conſulendum eſt, quid fecerint ſimili in occaſione Sancti, quomodo ex id genus periculoſis occaſionibus evaſerint, ubi de eorum conſcientia, & ſalute agebatur.

Tertio denique loco accedat, præter inſidias, quæ nobis ſtruuntur in via Sanctitatis, adeſſe quoque magnos obices, qui ſuperandi ſunt, & plures inimicos, cum quibus eſt dimicandum; quos tamen vincere, noſtrum eſt; quia ad id ſuppetunt nobis neceſſaria ſubſidia, ideoque noſtra tantum ignavia prohibere poteſt, ne Sancti ſimus & nobis cæli aditum obſtruamus, quia Sancti, qui illum ſibi aperuerunt, homines erant, uti nos, iiſdem obnoxii infirmitatibus, & cupiditatibus, ac nos; & illi ſæpe etiam violentius laceſſiti fuerunt, quam nos. Et ſane vita eorum, prælia, victoriaſque percurrite; nonne illis æque ac nobis vincendum fuit, quidquid in mundo eſt maxime funeſtum, ac innocentiæ pernicioſum? Quidquid timendum eſt in opibus, & in mundi hujus honoribus? Quidquid hominum potentia potuit efficere ut eos ab officio detorqueret? Et demum quidquid in morte fuit terribilius, ut eos ad fidem, ac Religionem ſuam ejurandam impelleret? Maluerunt omnia perdere, omnia vicerunt, & de rebus omnibus triumpharunt. O Deus, quam ſtetit illis Sanctos eſſe! Quot cruciatus, & ſuppliciorum genera paſſi ſunt Martyres? Quot prælia, & perſecutiones Confeſſoribus ſuſtinendæ fuerunt? Quæ calamitates, & contradictiones Juſtis hauriendæ fuerunt, ut ſuam oſtenderent fortitudinem, fidem, fidelitatem, conſtantiam?

Nonne igitur modo in cælis dicere poſſunt, quod de illis, ac de ſeipſo ſuper terram dicebat S. Paulus: *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus?* (*1. ad Cor.*) Illos eſse ſpectaculum noſtræ expoſitum admirationi non ſolum, verum etiam imitationi? videtur quippe unuſquiſque eorum oſtentans nobis actiones, quæ illis promeruere coronas, quas geſtant, docens nos, ut dimicemus, atque vincamus: *Spectaculum facti ſumus*. Reſpicite hoc exemplum, Auditores, ſed illud ſimul imitamini. Pugnate ut illi, ſi gloriæ ipſorum vultis eſse participes. Spectaculum! exemplum! Quam impreſſionem efficere non debetis in mentibus noſtris! Quam potenter nos edocetis! quandoquidem adeo ſenſibilibus argumentis oſtenditis, nos fieri poſse, quod eſtis; quia fuiſtis, quod ſumus; & nulli ſunt obices, quos ſuperare non valeamus, quandoquidem vos ex illis victoriam retuliſtis? Nunc cum ſitis admirabiles per ſanctitatem veſtram, & quacumque ex parte commendabiles, inſignes propter prælia quæ geſſiſtis, & propter triumphos quos retuliſtis, exempla veſtra totidem ſunt ignaviæ, negligentiæ, & nequitiæ noſtræ exprobrationes. Utique ad tot exemplorum aſpectum homines fateri coguntur imbecillitatem ſuam, & modicum laborem ſuum ad adquirendam ſanctitatem, intuiti quid Sancti pro cæleſti gloria paſſi ſunt. Nam cum tot viri præclaro loco geniti (ut ſibi ſuadent) ſine honore indecoram vitam ducerent, ſi ſe ſe ſecundum Evangelii placita componerent; S. Ludovici, Eleazarii, Amedæi, qui ex ampliori genere, quam illi duxerunt originem, & qui adamuſſim obſervarunt Legem Dei, & virtutes proprias ſtatus ſui, nonne in illos inſurgunt, & nonne illos fateri cogunt; ſe decipi, ſi credunt, pietatem nequaquam eſse partem Principum

viro-

virorum? Cum vir negotioſus ſanctum Regem David conſiderat, qui ingentis Regni curis diſtentus diebus ſingulis plures impendebat horas in meditatione legum Dei ſui; Cum matrona nobilis in deliciis innutrita, & in corporis ſui cultu occupata, dicet gravem eſse ſibi, & non ferendum noſocomii alicujus odorem, poteritne non ſuffundi rubore, ubi cogitaverit, S. Eliſabeth, ac tot alias Principes mulieres in deliciis habuiſse inviſere pauperes, eorumque vulnera attrectare? Verbo me expediam; cum tot ignavi fideles ſibi proponent ob oculos heroica Sanctorum facta, & ea virtutum exempla quæ nobis reliquerunt, nonne illis ſumma cum verecundia confitendum erit, modicam fidem ſuam, magnam vero infirmitatem prohibere, ne Sanctos imitentur futuri eorumdem gloriæ participes?

CONCLUSIO. Itaque fideles quandoquidem vidiſtis hactenus Sanctorum gloriam debere nos ad Sanctitatem excitare, quæ unica via eſt ad ſupremum illud bonum, quo illi perfruuntur; & aliunde eorum exemplis nobis oſtendi, nos quoque eamdem Sanctitatem adquirere poſse, quantumvis ardua nobis exhibeatur, mihi toti huic ſermoni finem impoſituro nihil rupereſt dicendum, niſi quod omnino inutile, & vacuum eſt ad hanc gloriam contendere per aliam viam, quam ſanctitatem; omnes enim virtutes huc tandem collimant. Hoc eſt, pluribus modis ſancti fieri poſsumus; ſed ſine ſanctitate gloriam non poſsumus adipiſci; ideoque ut noſmet ad ſanctitatem adquirendam excitemus, & ad eam, quantum in nobis eſt, contendamus; cogitemus gloriam mereri, ut illam omnibus excogitabilibus laboribus comparemus; licet juxta complurium Sanctorum exemplum nobis abrenuntiandum eſset effectu ſimul æque ac affectu iis omnibus, quæ poſſidentur in mundo; licet recedendum eſset in ſpecus & ſolitudines, quod nonnulli factitarunt; licet totum vitæ noſtræ ſpatium in pœnitentiæ lacrimis traduceremus, induti ciliciis, horrentique ſetis ſubucula, quæ olim Anachoretarum erat conſuetudo; licet denique omnia Martyrum tormenta ſubiremus; tunc enim dici cum Apoſtolo poſset, nullam inveniri proportionem laborem inter, & præmium: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Verum Deus qui infinite liberalis eſt, & magnificus multo minora petit, & ſancti eſse poſsumus, ut ita dicam, minori ſumptu; ad id enim ſatis eſt obire hominis Chriſtiani officia, fideliter Dei mandata ſervare, & ſtatus ſui munera implere.

Hoc nobis perſuadet exemplum plurimorum Sanctorum, qui gloriam adepti ſunt per eoſdem actus, quos quotidie exercemus. Heu! ad id ſufficeret tantumdem facere propter Deum, quantum facimus, ut Mundo ſerviamus. Sed cum Beatorum exemplum nobis oſtendat, quid faciendum ſit, objiciens oculis noſtris ea, quæ fecerunt, evincit quoque ſanctitatem non eſſe ſupra vires noſtras; quandoquidem illi ad hunc finem pervenerunt & ex parte Dei gratias, & auxilia, quæ ſunt neceſſaria, nunquam nobis eſſe defutura. Igitur difficultatem cauſſari, idem eſt ac ignaviam ſuam profiteri. Heu! oſtendamus inter honores, & magiſtratus, inter familiæ occupationes, inter impedimenta negotiorum, quibus noſtra nos implicant officia, poſſe nos ſervire Deo, prædeſtinatorum vitam degere, & Sanctorum gloriam mereri: quoniam tot illam meriti ſunt permanentes in iiſdem impedimentis, nec alia habentes ad ſemet ſanctificandos ſubſidia, quam quæ nos habemus. Laboremus ergo adepturi ſanctitatem, quæ tantam hanc felicitatem habet pro remuneratione. Adnitamur, ut ſancti evadamus, ſi æternum beati eſſe volumus: *Filii Sanctorum ſumus*. (*Tob*. 2.) Hi de ſummo cælorum vertice reſpiciunt nos tanquam teſtes actuum noſtrorum, noſtris compatiuntur ærumnis, & infirmitatibus, nobis offerunt patrocinium ſuum apud Deum; ſua intereſſe putant noſtram felicitatem. Ne quæramus inanes cauſſas, ut noſmet ab eorum exemplis ſequendis diſpenſemus, ne quando inſurgant in nos; & hæc eadem exempla ſint totidem exprobrationes, quas nobis objicient, & quæ evincent nequaquam impoſſibile fuiſſe nobis vivere, ut illi vixerunt, quia id olim erant quod hodie ſumus; ſed ſi illos imitati fuerimus, hoc erit medium obtinendi gloriam, qua perfruuntur, & eadem cum illis æternum perfruendi.

SERMO TERTIUS.

Ad adquirendam Sanctitatem cura habenda eſt rerum etiam minimarum, quæ ad Dei cultum pertinent.

AD adquirendam ſanctitatem fidelitas, quam Deo debemus, generalis eſſe debet, & ſeſe extendere etiam ad minima quælibet: nam obedientia, quam præſtamus legibus, & mandatis illius, nullam admittit exceptionem; & non ſatis cognoſcit, quid illa mereatur, qui magnum a modico ſecernit, cum agitur de illius gloria, vel de noſtra ſalute. Nam exilia quæcumque principia augeſcunt minimis incrementis, quæ vix percipiuntur; & deſinunt tandem in effectus inexpectatos. Quapropter fert animus apud vos hodierna die verba facere de neceſſitate nihil negligendi in cultu Dei, eique fidem ſervandi in minimis etiam quibuslibet officiis, cum nulla tutior ſit ratio non ſolum ad prohibendum in graviſſima crimina lapſum, ſed etiam aſſequendum altiſſimum perfectionis gradum eo in ſtatu, ad quem Deus nos collocavit.

Opportune animadvertit Tertullianus, Deum in Scripturis nomen Domini tunc ſolum uſurpaſſe cum jam primum creavit hominem, eique impreſſit ſimilitudinis ſuæ lineamenta, & magnitudinis ſuæ characteres; quaſi ante id tempus nullos habuiſſet ſubditos, quibus poſſet imperare. Profecto Cæli, terra, ſydera, & elementa audire quidem poterant vocem illius, ut ejus facerent imperata; ſed carebant libertate, ita ut præceptis illius non valerent obſiſtere; ſed ſimulac effinxit eximium hoc manuum ſuarum opus, tunc ſibi vindicare cœpit Domini nomen, & jure ſuo uſus eſt, legem irrogans Adæ, eique præceptum proponens, quod frangere non potuit, quin in exitium laberetur. *Ante Deus*, dicit hic Pater, *erat Deus, nunc autem Dominus*. Sed quod alii nonnulli Patres addunt, mihi aditum præbent, ut in argumentum ingrediar, cum inquiunt, Dominum hunc magnum in re modica præceptum irrogaſſe, interdicto caventem, ne veſceretur ex fructu quodam, quem illi indigitavit, ut illum fidelem eſſe cogeret pro utilitate totius generis ſui de cujus æterna felicitate agebatur; quoniam hæc felicitas cum Adæ obedientia ita erat conjuncta, ut per teterrimum ſupplicium, quod Deus deinceps ſuſceperit de alio quocumque ſcelere, crimen unius mortales omnes ſontes effecerit, & in cauſſa fuerit omnium noſtrarum ærumnarum; unde S. Auguſtinus argumentatur, obedientiæ magnitudinem non ſemper deſumi ab imperatæ rei magnitudine, ſed a Legislatoris poteſtate, & dignitate. Ita Deus tunc primam, & maxime neceſſariam ex legibus ſuis conſtituit in re, quæ leviſſima videbatur, ut doceret omnes homines exemplo Capitis eorum, ſe ab illis generalem exigere obedientiam in rebus tum magnis, cum modicis; & in omnibus fidem illi eſſe præſtandam.

Ne putetis ideo, me hoc in loco aſserere velle, non dari levia contra Dei leges peccata, quippe error eſt quorumdam veterum philoſophorum, putantium peccata omnia eſſe æqualia; ſed leviora nonnunquam magnos exitus habent, & ſenſim, & ſine ſenſu ad funeſtiſſima quæque deducunt, & e contra minima quæque, ubi agitur de Sanctitate, ſubjectum eſſe virtutum præclariſſimarum, & efficere, ut veluti per gradus aſcendamus ad cumulum perfectionis; unde ſequitur nihil eſſe negligendum in cultu Dei; & nihil eſſe tam exiguum, quod non magnos habeat in utramque partem ſive in malum ſive in bonum effectus.

Hoc igitur re adhuc integra nos cogere debet, ut fideles ſimus Deo, & in omnibus officiis noſtris accurati, & diligentes ſine ullo diſcrimine ſive magna illa ſint, ſive modica; quia difficile eſt, ne dicam moraliter impoſſibile, deficere in aliis, quin ſimul infideles evadamus in aliis, & quin incidamus in damnationis periculum. Hoc Sapiens teſtatur dicens, qui contemnit modica, ſenſim in majora prolapſurum, & Salvator noſter nos docet, eum qui fidelis eſt in iis, quæ videntur leviſſima, fidelem quoque futurum in iis, quæ majoris erunt momenti. Licet autem hoc Oraculum ab eadem veritate prolatum ſufficere debeat, ut nobis integerrimam ſuadeat diligentiam in omnibus muneribus noſtris, ut acrius ea intelligamus, quæ ſunt conſecutura; permittite, quæſo, ut inde deducam rationes, quibus Oraculum hoc inniti videtur.

Has autem ex tribus rebus deſumo, quas primum peccatum in omnibus reliquit hominibus, & quas quodammodo in ipſo Eſſentiæ noſtræ fundo impreſſit. Prima eſt error mentis; altera voluntatis propenſio; tertio cupiditas, quæ in appetitu dominatur. Hi tres ſunt funeſti noſtrorum malorum fontes, qui efficiunt, ut cum agitur de peccato, facile ſit magnum cum parvo confundere; quippe error mentis efficit ut ſæpe alterum pro altero uſurpemus; voluntatis proclivitas natura ipſa nos de uno in alterum agit, & cupiditas præſtat, ut ſenſim, & ſine ſenſu de uno in alterum prolabamur.

Ut hæc enucleemus, & latius expendamus; dico primum errorem, qui mentem noſtram prævenit, ſæpiſſime efficere, ut magnum malum pro levi accipiamus; & nihil eſſe facilius & vulgatius, quam nos falli in judicio, quod hac de re ferimus. Et ſane quamvis ſit infrequentius minima pro magnis accipere, videntur tamen qui ſunt hoc errore præventi, ſaltem in praxi; & qui religioni ſibi vertunt res alioquin nullius momenti, ſed qui nullo habent in diſcrimine ea, quæ maxime ſunt neceſſaria. Hoc enim Dei Filius Phariſæis exprobrabat, qui totam Legis perfectionem collocabant in levibus obſervantiis, quas ſibimet præſcripſerant, & qui pro nihilo habebant, maxima Legis præcepta negligere; qui merito ſibi ducebant humanas traditiones ſervare eo uſque, ut in locum officiorum æquiſſimorum, & maxime naturalium eas ſubrogarent; & crediderant ſe magnum ſcelus admiſiſſe, ſi accubuiſſent menſæ manibus illotis; ſed qui ſe innocuos eſſe putabant, ſi ingentibus inquinati eſſent ſceleribus, cujus generis ſunt injuſtitiæ, impotentiæ, fenora, aliaque id genus, quæ quotidie patrabant. Nonne hic error erat, qui ad ſtultitiam uſque procederet? & qui vix crederetur cadere poſſe in mentem Phariſæorum per illorum præſidentiam, niſi etiam inter fideles id genus mortales complures intueremur, qui omnem collocant pietatem ſuam in levibus quibuſdam conſuetudinibus, ſed qui nullo habent in diſcrimine ultiones, detractiones, omiſſiones plurimas, eaſque maximi momenti, ut ſtatus ſui obeant officia? Nonne hæc manifeſta eſt deceptæ mentis illuſio, quæ fallacia ſibi proponit principia pro

pro regula vitæ deſumens acceſsorium pro eſſentia rei, & modica pro magnis?

Numerus eorum ſatis magnus eſt, ſed longe abeſt a multitudine eorum, qui in alterum incidunt extremum. Quæ non minor eſt illuſio, quamvis opponantur Phariſæis, eorumque error in eo ſitus ſit, ut magna aſſumant pro modicis. Error craſsus profecto, ſed pernicioſus, atque funeſtus; nam ſibimet permittendo peccata quædam, quæ levia creduntur; ſine ulla religione, atque conſideratione informatur conſcientia ſecundum ea præjudicia, quæ fallaci judicio acti nobiſmet fingimus iis in negotiis, in quibus amor proprius ſuam invenit utilitatem. Hinc emanant fallacia præjudicia, quæ plurimi non verentur aſsumere tanquam regulas tutas & certas. Sibi, exempli loco, ſuadent verſutiam, malamque fidem, quamdam eſse induſtriam, atque dexteritatem, cujus uſum conſuetudo probavit, converſationes periculoſas, nimium libera colloquia, & licentiam cum praviſſimo exemplo conjunctam lepores eſse, & jocos crimine vacuos. Profecto diſtinguine poſsunt adhuc a parvis magna, cum imitamur lepidum hilaremque virum, qui fovere novit, ac recreare feſtivam converſationem; cum putamus, irriſiones in iis, quæ ad Religionem, & ſacra pertinent, nihil eſse niſi feſtivi ingenii jocos, licet meræ ſint impietates? Cum ultiones, & odia manifeſta deſumimus pro primis iracundiæ motibus, quos accepta contumelia parere ſolet re adhuc integra? Quot ſunt, qui legitimum lucrum putant, quod vera uſura eſt, dummodo illam alia aliqua ex parte diſſimulare ſciant, & quot, qui oblectari videntur fallentes ſemet hac in re, cum intereſt ſua? Deinde ex hujuſmodi præjudiciis perperam conſtitutis num mirum eſt, ſi in mente ſua ſibi fingunt fallax judicium practicum, ut morum ſcientia loquitur, quod efficit, ut malum aſſumatur pro bono, & malum magnum pro modico? Nam ſicut peccata catervatim influunt in talem conſcientiam, ibi facile confunduntur, quin deinceps valeant diſtingui.

Hac in re uti mihi licet verbis Apoſtoli; *nemo vos ſeducat inanibus verbis*; nam ſicuti error nunquam magis officit, quam cum de peccatis ſermo eſt, nunquam vulgatior eſt; quippe amamus errorem, qui noſtra palpat ſtudia, & tantum abeſt ut illum abjicere quæramus per ea lumina, quæ ſunt neceſſaria, ut noſmet in eo confirmantes, illi conſcientiam noſtram conformemus. Eſto enim, minime pares ſitis, ut injuſtum aliquid, violentum, ac turpe admittatis: quia hæc flagitia aliquid habent quod ſtatim conſcientiam exulcerat; nunquid non alia ſunt crimina, quæ quia fœda non ſunt in oculis hominum, non ideo ceſſant eſſe magna coram Deo, qualis eſt ambitio, & ſuperbia? Nonne quædam ſunt, quæ nobis merito vertimus, ac laudi, veluti ultio, & id genus alia, quorum oblivionem facile immittunt, ubi patrata fuerunt, mundi hujus impedimenta? hujuſmodi ſunt maximi momenti officia. Ceterum quis ignorat, cum ſæpe lateant limites, qui ſecernunt ea quæ licet, ab iis quæ ſecus, quis ignorat, inquam, nihil tam facile eſſe, quam falli? Etſi minime citra ſubſiſtimus vigili præcautione, nonne periculum ſubimus, ut prætergrediamur terminos, quos non ſatis diſtinctos videmus, vel quos per ignorantiam affectatam nolumus intueri?

Heu! *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*. Cavendum vobis eſt igitur, ne fallacibus ſermonibus vobis dari verba patiamini; ſatis eſſe obedire Deo in iis, quæ magni momenti ſunt: exilis ingenii characterem eſſe modicis rebus perturbari; meros eſſe ſcrupulos nimis coarctatæ conſcientiæ in omnibus legem ſequi velle, quandoquidem Spiritus Dei ſecum affert libertatem. Ita ſane loquitur ſpiritus mendacii, qui eadem calliditate auget in imaginatione noſtra apparens illud bonum, quod in peccato invenitur, ut nos in illud pertrahat, & e contra imminuit magnitudinem veri mali, nobis ſuadens hoc tantum non eſſe. Ita eſt; per duplicem corruptæ imaginationis errorem noſmet fallimus magnum pro levi crimine deſumentes; quemadmodum ſæpe fallimur, aſsumentes ſpeciem exigui boni, pro magno ſolidoque bono, quod nobiſmet deprehendere videmur in peccato. Nonne igitur manifeſtum eſt periculum a levibus noxis ad graviores gradum faciendi; quandoquidem falli adeo facile eſt, & error hac in re, quin nos juſtificet, vel excuſet, efficere poteſt magnum crimen ex levi per affectatam negligentiam quærendi lumen circa dubium, quod nobis eſt, juxta receptum illud ab omnibus Doctoribus principium, graviter peccare, qui leve dumtaxat peccatum admittit dubitans, utrum peccatum hoc grave ſit, an leve? *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*.

Sed ſi hoc periculum ita metuendum eſt propter mentis errorem, qui efficit, ut alterum pro altero deſumamus; numquid minus eſt propter ſtudium voluntatis, quæ ſenſim, & ſine ſenſu ab uno in alterum nos transfert? Magna eſt in crimen propenſio; arduum eſt ſiſtere pedem in lubrico, cum jam primum protulimus gradum; ita ut non alia ſit ratio ſeſe ab inſignibus vitiis præſervandi, quam ſibimet tum in magnis, cum in minimis præcavere: hoc ait Sp. Sanctus, cum inquit, nos ex nobiſmetipſis in malum ferri, omnes ſenſus noſtros petere ad illud quærendum, vel recipiendum, nos habere corpus peccati, ut addit Apoſtolus; videlicet nos intra noſmetipſos habere principium, atque materiam omnium peccatorum; nonne ergo hoc eſt ſeſe objicere maximo cuique ex his peccatis ſibi a minimis non cavere? Cum enim ab uno ad alterum extremum tranſitus non fiat ſine medio, & cum ſcelerum abyſſus ſuos habeat gradus, per quos ſit deſcenſus: res minimæ faciliorem præbent hunc tranſitum paullatim diſponentes voluntatem, & veluti per gradus imminuentes metum, qui illam remorabatur, & eam aſſueſacientes ad aliquid remittendum de magna hac ſeveritate, quam ſibi præſcripſerat, ut deinceps ſe ſe ad maxima quæque flagitia emancipet.

Ita ut ubi ſemel aditus apertus eſt vitio, non ſit adeo levis momenti labor ſibi præſcribere cancellos, quia per viam hanc nonniſi per inſenſibiles progreſſus incedimus, & dominans naturæ noſtræ pondus vulgo longius nos trahit, quam cogitaverimus: nam ſi adhuc magni criminis horror nos retinet; levia peccata nonne ſenſim, & ſine ſenſu metum hunc, & horrorem imminuunt? Habitus, qui eſt tanquam pondus recens additus naturali propenſioni; nonne paullatim coaleſcit, & ubi convaluit, quid non poteſt? Per hunc imaginatio decepta, & ante cetera ſuperata mulcet horrorem, qui primum quidem nos perterrebat, & efficit, ut lapſu temporis omnia evadant mitiora. Ita eſt, dicere audeo, tot fiunt ingentium ſcelerum ſpecimina, quoties aliquis in modica labitur crimina, & obſtupeſcimus, poſtquam adeo exigua præcautione a levibus noxis abſtinuimus: obſtupeſcimus, inquam, videntes noſmet in horribiles corruiſse impietates, quia re adhuc integra non ſentimus funeſtos progreſſus, quos in ſcelere facimus. Impedimentum ex modicis vinculis initium ducit, quæ in infinitum multiplicantur. Hoc impedimentum mox convaleſcit, ac tandem eo evadit, ut in illum deſinat terminum, a quo, re adhuc integra, animum abhorrebat. Idcirco primum illud effatum, quod in filiorum inſtitutione obſervatur, eſt ſtatim exiguas noxas corrigere, quibus ſunt obnoxii: prudenter enim arguitur fore ut exigua hæc peccata in majores illos impellerent culpas, ſi impunes illi abire permitterentur: proclivitatem hanc, quam habent in mendacium, ludum, furtum, ac licentiam nequaquam ſemper intra fines eoſdem eſse permanſuram, ubi ætas, illam veluti concluſam tenet, niſi maturate illi obſiſteretur, niſi prava hæc natura corrigeretur, & niſi ſumma cura ad virtutem inflecteretur. Quod autem, jure optimo prudenter extimeſcimus in ſtudiis filiorum, hoc generatim metuendum eſt in mortalibus omnibus: quia, Tertullianus ait, vitium æque ac homines diverſas habere ætates, & in infantia, cum incipit per ea, quæ ſunt leviſſima mox adoleſcere ac ſeſe roborare, prout conſeneſcit; ita quærit objecta congrua ætati, & concupiſcentiæ quæ primum quidem modico adquieſcebat, nullum ſervat modum, ubi crevit cum tempore. Itaque ne putetis blaſphemum hunc primum ſtatim incepiſse hæc horribilia juramenta proferre, quæ in ſingula verba evomere auditur: pedetentim, ac ſenſim ad hos exceſsus evaſit per crimina leviora, quæ illi abſtulerunt horrorem eorum, quæ in ſingula evomit momenta. Impius, & Atheus ipſe non corruit in ictu oculi in impietatis abyſsum, ubi marceſcit; neque dicto citius jugulavit omnes ſenſus Religionis, quos natura ac fides immiſerant. Initium duxit non eam adhibens reverentiam, quæ præſtanda eſt ſacris rebus; perrexit in jocum traducens ea, quæ pertinent ad devotionem, & ad auguſtiſſimos ritus Eccleſiæ: hinc evaſit uſque ad contemptum noſtrorum myſteriorum, ac tandem per apertiſſimum Atheiſmum abjecit timorem, ac fidem Dei. Et undenam, amabo vos, profecta eſt mundanæ hujus mulieris licentia, quæ adeo libidinoſam vitam ducit? Neque enim re adhuc integra ex gravi aliquo ſcelere duxit initium; ſed a converſationum hilaritate, quæ omnis illi pietatis ſaporem abſtulerunt; a lectione librorum, quæ illi nimium teneros affectus immiſit; hinc gradus factus eſt ad nimis libera colloquia, & in privatis hujuſmodi allocutionibus blanda excepit verba hominis in omnem licentiam effuſi, qui ſuum eidem ardorem ſignificavit, qui ignem in corde illius inflammavit, quod tandem aliquando ſe flecti paſsum eſt. Et ecce illam prolapſam in infamiam, & univerſæ civitatis contemptum; adeo verum eſt a leviſſimis initiis ad graviſſima uſque perveniri flagitia, propter proclivitatem, qua proni ſumus in malum, quod nos trahit, & ſenſim, & ſine ſenſu de uno in alterum adducit.

Addamus tertio loco, quod miſeræ propenſioni accedens cupiditas nos rapit, vel præcipites potius dat ſine ulla conſideratione ex levioribus noxis in graviſſima crimina: neque enim ſcire tantum oportet, quid ſit violenta animi ægritudo, vel quid illa poſſit, ut aliter judicetur, & ut plus moderationis in ejuſdem progreſſibus expectetur. Vocatur motus animæ, cujus motus ſtatim ac impreſsus eſt, ac receptus, non adeo levis momenti eſt, illum, ubi velis, compeſcere; vehementior enim eſt omnibus conſiderationibus, quæ ad id afferuntur. Hoc autem, quæſo, ut diligenter attendatis, has cupiditates in ortu ſuo infirmas eſse, ut cetera; ſed mox ignis inſtar exardeſcere, qui cum in ipſa origine parva ſcintilla ſit, in teterrimum evadit incendium, & parit vaſtitatem, atque excidium, quod nullam patitur medicinam. Ita eſto, vanitas, exilis invidia, levis ira, tenuis avaritia, levis ob illatam injuriam dolor, non ſint quidem gravia peccata, neque mala adeo timenda, quæ ſi ſtatim in ipſo ortu jugularentur, nullum haberent moleſtum exitum; tamen ad quæ extrema non perducunt illos; qui iiſdem ſe falli ſinunt, & qui cupiditates reprimere negligunt? Fingite vobis quidquid deterius eſt in moribus, ac pernicioſius in novitatibus ad Religionem ſpectantibus, quidquid magis impium in hæreſibus, horribilius, & maxime funeſtum in bellis, quidquid cru-